# HISTORIA
# DE ORIGINE ET PRINCIPIO ATQVE VITA OMNIVM REGVM LVSITANIAE,

ET REBVS AB ILLIS PRÆCLARE GESTIS,
cum omnibus casibus, qui in eo Regno ad nostra
vsque tempora euenere,

ET MVLTIS ALIIS REBVS SCITV DIGNISSIMIS
*ad idem Regnum Lusitaniæ spectantibus.*

*Libri* XX.

## AD PHILIPPVM TERTIVM
Hispaniarum, & Indiarum Regem Inuictissimum.

*AVCTORE EMANVELE CONSTANTINO LVSITANO*
*sacræ Theologiæ Doctore, in Almæ Vrbis Gymnasio olim publico*
*professore, & sacri Collegij Clerico.*



ROMÆ, Ex Typographia Nicolai Mutij M. D C I.

SVPERIORVM PERMISSV.

*Ego Anastasius Germonius I. C. & Sanctissimi D. N. Papæ vtriusque Signaturæ Referendarius de mandato Reuerendissimi Patris Io. Mariæ de Bersighela Magistri Sacri Palatij legi Librum hunc, cui titulus est de Origine & Principio Regum Lusitaniæ Auctore Emanuele Constantino Lusitano, & in eo nihil fidei, aut bonis moribus repugnans inueni. Immo eiusdem auctoris, industria, labor & diligentia in quærenda Origine Regum Lusitaniæ, & eorum serie referenda maxime laudanda sunt in quorum fidem me subscripsi Romæ in ædibus solitæ meæ habitationis die xx. Maij M. D. XCIX.*

*Anastasius Germonius.*

# PHILIPPO
## HOC NOMINE SECVNDO
### LVSITANIAE REGI
### INVICTISSIMO.

CVM literarum ſtudia, Rex Inuictiſſime & potentiſſime, cuilibet homini ſingulare vitæ præſidium, & incredibile afferant ornamentũ; illis tamen; qui clauum Reipublicæ tenent; maximam exhibent vtilitatem. Nam cum eorum, qui ſub eius degunt Imperio, curam habeant; nihil in Orbe reperiri poteſt; quod magis conducat ad leuandas curas; quas moles publicorum negotiorum ſolent afferre; quam doctiſſimorum hominum monumenta diligenter & ſedulo perſcrutari; conſilium enim ſine aſſentatione ſubdola, aut fallaci obſequio præbent, nec magnatum gratiam aucupantur; nec eorum iram, aut odium reformidant. Cumque in Principum dictis (vt Oroſius refert) nihil leue debeat videri, quando in vulgus facile emanant; & Principis exemplo mores populi ſæpe reguntur; nihil ad eorum illuſtrandam dignitatem aptius erit; cognitione multarum rerũ; quæ in doctorum libris facile haberi poteſt; & illa Rempublicam tutam ab omni præſidio conſeruant; moresq. patriæ diffluentes

disciplinæ seueritate deuinciunt. Quibus omnibus, Rex Inuictissime, ita circumfluis, vt summi Regis gloriam, & laudem consecutus sis; in tuis laudibus illa est omnium maxima, & clarissima; quod Christus numine suo te protegit, tibi præsens adest, pro te pugnam capessit, cum, inauditam diligentiam in sacris peragendis, in sceleribus impiorum hominum vindicandis, in Christi nomine, & Religione Christiana propaganda, adhibeas. Non est ergo mirum, si reliquarum omnium virtutũ laudibus abundas, cum hanc vnam; ex qua reliquæ omnes oriuntur; studiosissime complexus fueris. Cumque tibi proprium semper fuerit, & perpetuum; vt in omnibus tuis actionibus rectum, & honestum eluceſceret. Nunc vero cum ad voluntatem sit auctoritas addita; ea procul dubio præstas; quæ minime dubijs inditijs futura pollicebare; tuam illam heroicam virtutem non recensebo; iustitiam in cogitationibus, constantiam in dubijs, prudentiam in consilijs, tantam & tam admirabilem clementiam, quis vmquam in aliquo Principe vidit? legit? aut audiuit? fruere Rex Inuictissime isto tanto bono, Christum tuę glorię auctorem semper intuere; omnes tuas curas in Reipublicæ salute defige, & ad æternam diuinamq. gloriam aspira. Ego vero etsi tacite, vt par est atque debeo, te veneror atque suspicio; testem tamen obseruantiæ in te meæ Indicem voluntatis ad te hunc librum mitto, non tam ingenio perfectum, quam industria elaboratum; vt in angusto abaco fumosas (vt ait Cicero) Lusitaniæ Regum, & maiorum tuorum imagines, primordia, & stemmata: veluti in tabula exhibeam spectanda, & patrem tuum, & te verum & lege debitum Regni Lusitaniæ hæredem intelligat vniuersus Orbis. Ego autem, Rex potẽtissime, nunc

huma-

humanitate tua incensus, beneficentiaq. allectus omnes meas cogitationes ad tuam dignitatem & gloriam conferẽdas esse statui, maioriq. animi contentione mihi enitendum esse existimaui. Nec id elaboro, Rex inuictissime, vt ingenij mei aliqua laude fruar; sed, vt incredibilem meam erga te beneuolẽtiam, singularem voluntatem saltim prædicanda gloria declararem. Non igitur mihi dero, quamdiu aliud præstare non possum, quin hoc scribendi genere meum in te animum plenissimum pietatis ostendam; perficiamque; vt me in omni loco tui memorem esse cognoscas. Non me fallit; quam id pro meo singulari erga te studio, quo quidem mirabiliter sum inflammatus; exiguum sit: sed non debent, qui magna præstare nequeunt; parua negligere, & qui in rebus maioribus vsui esse non possunt; ob id in leuioribus muneribus; apud eos, quos præcipue obseruant, collocandis, diligentiam remittere. Hoc autem ideo feci; quia ea materies mihi te tanto, & tam magno Rege digna visa est, & hi nostri de Origine & Principio Regum Lusitaniæ commentarij erant paulo diligentius elucubrati, & elaborati. Accedit etiam; quod nihil aptius meis cogitationibus arbitrabar, quam librum hunc tibi Regi maximo consecrare, qui es virtutum omnium gloria præstantissimus; & is Rex, quo maior in vniuerso terrarum orbe non possit reperiri, & laude Religionis, sanctitatis, clementiæ, bonitatis, es in primis admirandus. Tibi ergo hæc grata futura fore censeo; qui non tam muneris oblati dignitatem; quam offerentis animum atque fidem soles ponderare. Nam cum Regiæ maiestatis maximum ornamentum sit in hominum fidelitate, & beneuolentia constitutum; quomodo potest id illis ingratum, & iniucundum accidere;

dere;

dere; quod intelligunt esse ex egregia voluntate atque singulari fide profectum? Te; Rex inuictissime; non solum oro, verumetiam obsecro; vt hoc munus ita accipias; vt videant omnes, quanti tuorum Lusitanorum oblata munera facias; & erga illos; quam ardens studium & voluntas. Vale Romæ.

Maiestatis Vestræ.

Humilimus seruus

Doctor Emanuel Constantinus.

## DE EMANVELIS CONSTANTINI LIBRIS IOSEPHI CASTALIONIS CARMEN.

QVEM Lusitanis egressum finibus olim
Martia Roma virum florentem laude diserti
Excepit, gremioq. fouet, mirata benigno
Carmine mortales, cælestes carmine sedes
Prosequitur, conditq. Dei præconia vates.
Idem liberior numerisq. solutior idem.
Nectareæ celebrat felicia rura Materæ,
Et Lusitani ter magno iura Philippo
Addicit Regni, Regemq. extollit ad astra.
Eloquijq. decus scriptor sibi quæsit vtrumque.

## IOSEPHI CASTALIONIS HENDECASYLLABI IN EMANVELEM CONSTANTINVM LVSITANVM.

QVÆ vix singula singulis dedisse
Constantine ferunt patres Mineruam.
Hæc vni tibi contigisse cuncta
Gratantur faciles Remi nepotes.
Nam seu magnanimum tonas Philippum;
Arpini decus imitaris oris,
Seu laudes superum canis virumque,
Et certo pede vincta verba pangis,
Daphnæam tibi comparas coronam,
Et castis Elegis refers Tibullum.
Res & tempora seu ducum recenses,
A Crispo procul te abesse remur,
Seu rerum iuuat explicare causas;
Et certamen inire disputando.
Doctas in Latio locas Athenas.
Lusitania ter quaterq. felix,
Emersit decus vnde tale nobis.

IOSE-

## IOSEPHI CASTALIONIS
### IN EMANVELEM CONSTANTINVM LVSITANVM
### EPIGRAMMA.

*Persarum Regi non plures arcula gemmas*
*Clausit, quam hoc varias nobile clausit opus.*
*Nulla tibi ad vitam deerunt exempla legenti,*
*Tristiaq. inuenies læta, seuera, tibi.*
*Hæc placeant lector, quamuis sit docta vetustas;*
*Nostra suum seruent hoc duce sæcla decus.*

## IOSEPHI CASTALIONIS
### IN EMANVELEM CONSTANTINVM LVSITANVM
### EPIGRAMMA.

*Aurea sit Regi platanus, sit & aurea vitis,*
*Innumeros capiat pythia mensa duces.*
*Sumptibus & Crassi legio saturetur opimi,*
*Ostentet parthas sulla beatus opes.*
*Multa alius pascat seruorum millia, multos*
*Sub iuga quos nequeunt vix numerare boues.*
*His maiora tamen potuere obtingere seruis,*
*Incertas hominum sic variante vices.*
*Sed tu inter proceres Cabalini ornate reponis*
*Longe alias alto pectore diuitias.*
*Quas non ignis edax, nec durum euertere ferrum;*
*Nulla vel ira potest, nulla abolere dies.*

## OMNES REGES LVSITANIÆ
### A PRIMO COMITE HENRICO BVRGVNDO.

PRIMVS Lusitaniæ Comes Henricus Burgundus Vesontij natus vulgo hodie Besanzon præfuit Imperio Lusitaniæ annos viginti tres mortuus est Asturicæ anno 1112.

Rex

Rex Primus Alphonsus Comitis Henrici Filius, in Lusitania regnauit annos 40. vixit annos 91. mortuus est Conimbricæ, die septima mensis Decembris anni 1185.

Rex Secundus Sanctius Alphonsi Primi filius in Lusitania regnauit annos 26. vixit annos 58. mortuus est Conimbricæ, die 8. mensis Ianuarij anni 1212.

Rex Tertius Alphonsus Secundus Sanctij primi filius in Lusitania regnauit annos 12. vixit annos 38. mortuus est Conimbricę die nona mensis Nouembris anni 1224.

Rex Quartus Sanctius Secũdus Alphonsi II. filius in Lusitania regnauit annos 26. vixit annos 48. mortuus est Toleti, die 15. mensis Martij anni 1247. duobus annis vltimis Alphonsus Comes Bononiẽsis in Gallia Sanctij frater Regnum Lusitaniæ pro fratre gubernauit.

Rex Quintus Alphonsus Tertius Alphonsi Secundi filius in Lusitania regnauit annos 32. vixit annos 70. mortuus est Olisippone die 8. mensis Septembris anni 1279.

Rex Sextus Dionysius Alphonsi Tertij filius regnauit in Lusitania annos 46. vixit annos 64. mortuus est Scalabi vulgo Santarem die septima mensis Ianuarij anni 1325.

Rex Septimus Alphonsus Quartus Dionysij primi filius in Lusitania regnauit annos 31. vixit annos 67. mortuus est Olisippone die 9. mensis Maij anni 1357.

Rex Octauus Petrus primus Alphonsi Quarti filius regnauit in Lusitania annos decem; vixit annos 47. mortuus est Estremotij die 8. mensis Ianuarij anni 1368.

Rex Nonus Fernandus primus Petri primi filius in Lusitania regnauit annos 6. vixit annos 43. mortuus est Olisippone, die 20. mensis Octobris anni 1383.

Rex Decimus Ioannes primus Fernandi primi filius il-

legitimus in Lusitania regnauit annos 48. vixit annos 76. mortuus est Olisippone, die 14. mēsis Augusti anni 1433.

Rex Vndecimus Eduardus Primus Ioannis primi filius; in Lusitania regnauit annos 5. vixit annos 37. mortuus est Nabantiæ vulgo Tomar contagione pestifera ex quadam epistola accepta, die Nona mensis Septembris anni 1438.

Rex Duodecimus Alphonsus Quintus Eduardi primi filius in Lusitania regnauit annos 43. vixit annos 49. mortuus est Sintræ die 8. mensis Augusti anni 1481.

Rex Decimus tertius Ioannes Secundus Alfonsi Quinti filius regnauit in Lusitania annos 14. vixit annos 40. mortuus est in opido de Aluor in Regno Algarbiorum die 25. mensis Octobris anni 1495.

Rex Decimus quartus Emanuel primus Eduardi primi ex Fernando filio nepos in Lusitania regnauit annos 26. vixit annos 52. mortuus est Olisippone die 13. mensis Decembris anni 1521.

Rex Decimus quintus Ioannes 3. Emanuelis primi filius in Lusitania regnauit annos 35. vixit annos 55. mortuus est olisippone ex apoplexia die 11. mensis Iunij 1557

Rex Decimus sextus Sebastianus primus Ioannis 3. ex filio Ioanne nepos, in Lusitania regnauit annos 21. ferro occisus est in Africano bello, die 4. mensis Augusti anni 1578.

Rex Decimus septimus Henricus primus Emanuelis primi filius in Lusitania regnauit annum vnum menses 5. & totidem dies, mortuus in opido Almeirini luna patiente eclipsim, die vltima mensis Ianuarii anni 1580. quo & natus fuit; cum annos 68. vixisset.

Rex Decimus octauus Philippus primus Emanuelis

primi

primi ex Isabella filia nepos, in Lusitania regnauit annos 18. & mortuus est in Cænobio Fratrum Ordinis S. Hieronymi vulgo El escurial vocatur in æde S. Laurentij Martiris, quam ipse à primis fundamentis ædificauerat, die 13. mensis Septembris anni 1598.

Rex Decimus nonus Philippus secundus Philippi primi filius, qui hodie in vniuersa Hispania regnat incredibili omnium gaudio, & lætitia, atque totius orbis exultatione propre infinita, quem Deus Optimus Maximus ob pietatem suam immensam per multos annos illum nobis conseruet incolumem, & filios filiorum suorum vsque ad 4. & 5. generationem videat, quod vt ita sit Deum semper toto ex corde deprecabor, & singulis diebus quantum per vires meas id fieri potest, deprecor. Cum in eo semper sincera gloria, virtutis studium, honoris splendor, verum decus enituerit, & cum tantus Rex sit, nemo suo sermone excluditur, faciles ad illum aditus omnibus patent, suam humanitatē omnibus impertitur, & in te tantum Regem, & Principem admirandum ex inopinato, & de repente disthicon erumpit.

## AD PHILIPPVM III. HISPANIARVM REGEM POTENTISSIMVM.

*TV: solus solio; & Regno potiaris Eoo,*
*Claudatur sphæra machina tota tuo.*



# HISTORIA DE ORIGINE, ET PRINCIPIO REGVM LVSITANIAE;

*Et rebus ab illis praeclare gestis; & multis alijs casibus scitu dignissimis, qui in eodem Regno ad nostra vsque tempora euenere.*

A LVSITANIA, quæ, (vt memoriæ proditum est,) à Luso Hispaniæ Rege liberi patris Filio; aut Lusa liberi socio cum Luso bachante secundum aliquorum auctorum sententiam nomen sibi vendicauit, ab Oriente Tharraconensi prouincia terminatur; linea ab Oretania veteri ad eum pōtem ducta; cui è regione Septimancæ sitæ sunt; ab Occidenti ea Oceani Atlantici parte, qua Tagi, Minij, Durij, & Anæ aliorumq. Lusitaniæ fluuiorum ostia interfluit, à Septentrione Durio flumine ex ipsius
B hostio ad eum vsque pontem, qui Septimancis adiacet, à Meridie limite Beticæ clauditur. His vero auctoribus Ptolemæus insignior; Lusitaniæ latus Australe Ana conuenientius distermiṇat; Septentrionale Durio, quæ autem à Durio ad Minium est regio; Callaicorum, Bracarorum, Tarraconensi prouinciæ, quemadmodum Plinius contribuit, qui in libro 3. capite 1. in tria promontoria diuisam fuisse Lusitaniam dixerat. Strabo vero non spernendus auctor à Tago ad Artabros; qui iuxta promontorium Celticum sunt, Lusitaniam protendit. Tagi vero Regio, ait, ad
C Aquilonem spectans Lusitania est, gens est, Lusitana, inquit, inter omnes Hispanos amplissima & armis Romanorum annis plurimis oppugnata, latus Australe huius regionis Tagus cingit, ab occassu vero & Septentrione Oceanus; ab Aurora Carpetani, Vacæi, Vettones, & Callaici satis notæ gentes. Et paulo post, Minium amnem omnes Lusitaniæ fluuios, ait, magnitudine superare.

re. Artabros etiam Luſitaniæ poſtremos ad Septentrionem, & Occaſum vocat. Regionem vero, quæ inter Tagum & Anam eſt à Luſitania excludit, vnde & Barbarium Promontorium ſuper Luſitanos eſſe commemorat; vbi de ſtanni fodinis loquitur. Latinorum vero multo conſtantior & indubitata magis eſt ratio, quos omnes breuitati ſtudens, ſilentio hoc in loco inuoluam, & Pomponij Mellæ auctoritate contentus ero; qui non modo diligens atque diſertus ſcriptor; ſed veluti Hiſpanus domeſticarum rerum peritiſſimus breuiter & eleganter, quæ tunc erant, tres Hiſpaniæ prouincias diuiſit. Tribus, inquit, eſt diſtincta nominibus; parſque eius Tarraconenſis, pars Bethica; pars Luſitania vocatur. Tarraconenſis, altero capite Gallias, altero Bethicam Luſitaniamq. contingens, mari latera objicit noſtro, qua meridiem, qua Septentrionem ſpectat, Oceano; illas fluuius Anas ſeparat, & libro 3. de flexu terræ inter Tagum, & Durium; cum agit ita ſcribit, in eo ſunt Turduli veteres, Turdulorum opida; amnis autem Munda in medium fere vltimi promontorij latus effluens, & radices eiuſdem abluens Durius.

A (beside line 1) — B (beside "prouincias diuiſit. Tribus, inquit")

Diuiditur vniuerſum Luſitaniæ Regnum ſeu Portugalliæ in prouincias quatuor, Interamnem, & Tranſmontanam, Ciſtaganam, & Tranſtaganam; ſed quia vulgo & Portugalliæ, & Luſitaniæ Regnum appellatur; cur Portugallia vocetur, hoc in loco rationem reddendam duxi. Eorum vero ſententiam, qui arbitrantur; Gallos, Brachates, & Celtas, ante Aduentum Domini annos 290. in Hiſpaniam fuiſſe profectos, & Interamnem prouinciam ſtatim ſub ſuam poteſtatem redegiſſe, conditis ciuitatibus nonnullis, inter quas fuit Portugallia (quæ Gallis portus cuiuſdam, & perfugij inſtar erat) falſam eſſe exiſtimo. A portu enim & cale appellatam eſſe Portucaliam; eſt omnium doctiſſimorum opinio. Cale enim appellabatur olim opidum, quod Durio flumini imminebat; in cole ſitum, nec piſcatoribus, quibus præcipuæ incolebatur, & ijs, qui in mari verſabantur, facilis haberetur acceſſus; & in planiori loco nempe in ripa, quam noſtri portum vocabant, cepit habitari. Inde vero cum paulatim creuiſſet; & in dignitatis honorem, & ciuitatem ampliſſimam deueniſſet Portus-cales, &

C (beside "Diuiditur vniuerſum") — D (beside "& perfugij inſtar erat")

Por-

A Portucale, & Portucalia cepit appellari; Eius Ciuitatis Episcopus in antiquis concilijs Portucalensis appellabatur. vnde totũ Regnum nomen obtinuit, dubij autem vitandi gratia, Episcopus; qui antea Portucalensis dicebatur; Portuensis cepit appellari. Hanc vero sententiam comprobant, & amplectuntur Eduardus Galbanus; qui Alfonsi primi Portugalliæ Regis vitam scripsit; & L. Andreas Resendius antiquitatum Lusitaniæ optimus inuestigator, & assiduus perscrutator, in epistola ad Barttholæmeum Cabedium Hieronymus Olorius Episcopus Siluensis in vita Regis Emanue-
B lis, & Iacobus Mænetius Valconcellius canonicus Eborensis in commentarijs de antiquitatibus Lusitaniæ. Sunt etiam & concilia. Toletana, in quibus de Episcopis Portucalensibus fit mentio. Habeo etiam pro hac mea opinione Antoninum Pium auctorem; qui in suo itinerario cale opidum in ea parte collocat, ad cuius radices nobilissima Portucalia ciuitas hodie condita est; eamdem etiã amplectitur opinionem Eduardus Nonius à Leone Iuririsconsultus Lusitanus. Quod si Portucaliæ nomen ex vno opido fuit temporis progressu in totum Regnum deriuatum, simili ratione con-
C sentanenm fuit, vt ex tam magna Lusitaniæ parte Lusitaniæ nomen in totum Regnum duceretur; vnde vniuersum Portugalliæ Regnum continet maximam Lusitaniæ partem & non exiguam, vt Paulus Iouius parum considerate dixit. In Portugalliæ seu Lusitaniæ Regno quamplurima memoranda recensentur; ea enim Lusitaniæ pars, quæ Interamnis vocatur, in qua Portucalensis ciuitas sita est, plus trecentis & viginti passuum millibus in longitudinem patet, fluujis enim Ana, & Durio continetur. Adijcitur præterea Callecia Bracarensis à Septentrione, quæ Durio, &
D Minio definitur. Ad ortum vero solis aliquot sunt ciuitates tjans Anam, quæ in Lusitaniæ Regno continentur; ita, vt non sit minus e Caleccia, & Bethica Portucaliæ finibus adiectum quam ex antiqua Lusitania detractum. De hac vero Interamne prouincia, vt alijs omissis de illa hoc loco verba faciam, quid referam? quæ etsi angustijs finibus circunscripta sit, rerum tamen splendore, & varietate longe lateq. patere notum sit ijs; qui eam oculis perlustrarunt. Similiter maximis excelsisq. montibus admirabilis conspici-

ſpicitur; quorum ille, princeps eſt, quem ſtellæ montem veteres A
appellarunt, in lacu vero in eius cacumine exiſtente nonnumquã quamplurima nauium fragmenta conſpiciuntur. Hoc etiam non mediocrem hominibus affert admirationem; cum à mari pluſquã quadraginta millia paſſuum Lacus abſit; eoq. exæſtuante maximo fragore concutitur. Rem ſimilem in monte Aquis fluuijs vulgo apud Luſitanos chaues appellatur; quod opidum Tranſmontanæ prouinciæ eſt, euenire ſolere apud noſtros increbuit.

Habet etiam hæc pars Luſitaniæ, quæ ad Interamnem prouinciam ſpectat; Eccleſiam Metropolitanam Bracharenſem, Cathredalem Portucalenſem, de qua paulo ante verba fecimus; cum B
alijs collegiatis quinque præter centum & quadraginta Monaſteria diuerſorum ordinum cenſu ampliſſimo ditiſſima, & alias Eccleſias, quas Parochiales appellamus; quæ 1460. numerum excedunt ſuis baptiſterijs adauctæ, amænitatem vero non obſcuro vocis teſtimonio arguunt illic fontium perennium 25000. gratiſſimi decurſus, inter quos fons ille, qui non longe à ciuitate Conimbricenſi conſpicitur, maximum ſui ſtuporem infert, quem Plinius in agro Catanenſi non longe inde conſtituit. fons enim iſte C
ideo rarum ſui ſpectaculum exhibet; quia ſorbet quæcumq. ſibi admouentur. Vidi egomet, cum in eum locum cum Sereniſſimo Card. Henrico (qui in Regno Luſitaniæ Sebaſtiano ſucceſſit) me contuliſſem, auidiſſime ad ſe trahere fontem iſtum cęſam arborem bene magnam clanculum; iniectam in lacunculum arenæ, in quo ebulliens fons, effunditur, erat enim pedali altitudine, paulatim inter arenas ſorberi, & poſt paruam moram non comparuiſſe; quod experimentum quamplurimi quotidie faciunt. Alij vero referunt D
(cum ſpectantibus ipſis iumentum in eo pedem immitteret) totum ab eo lacunculo abſortum fuiſſe. Plinius etiam meminit alium fontem iuxta fluere, qui omnia reſpuit, iſtius autem fontis tum natura, tum origo obliterata eſt. Ager autem (quem prior fons cui nomen feruentiæ eſt inditum alluit) Cadima appellatur non procul à Tentugalenſi municipio. Huius vero prouinciæ amænitatem alia plurima oſtendunt. pontes vero quadrato lapide elegantiſſime conſtructi 200. portus vero marini octo.

Vni-

A Vniuersum Regnum Lusitaniæ multis & limpidissimis fluminibus, nominisq. commendatissimi celebratur; inter quos Tagus ille apud veteres commendatissimus primum locum obtinet. Olisiponem alluit, & inde duodecim passuum millia in Oceanum influit. Nam in Sinum Olisiponēsem ingressus antea miscetur marinis aquis in opido Villæfrancæ. Tot enim vrbes Tagus ante continet, tot valida, & opulenta loca in sinus ambitu, & per tot amnis ripas centum fere milliū passuum spatio, tantam vetustatem colligenti, amplectitur, vt librum pro sua dignitate integrum
B postularet, cuius rei idonea modo materia non est. Latitudinem ostij strabo stadiorum esse viginti tradidit, altitudinem vero permagnam; vt à nauibus millia decem vectantibus nauigari facile possit; quod verissimum esse experimur hodie; nauigaturq. duplici canali, veteri nempe atque nouo; & in campis superioribus inundationes duas diffundit æstus occasione, vt ad stadia centum & quinquaginta facies exstet pelagi, reddaturq. planities tota nauigabilis. Hoc proprijs oculis conspicimus ab ipso opido Villæfrancæ vsque ad Beneuentum. De flumine Durio quid di-
C cam? Aurum enim vehere Durium, si nos ignoraremus, à Silio Italico facile possumus admoneri dicente.

*Hinc certant pactole tibi Duriusq. Tagusq.*

Claritate etiam scriptorū & aquarum multitudine Durium esse celebratissimū, & Tagum superare abūdantia aquarū notum est omnibus, qui in Lusitania commorati sunt. Hoc vno dempto, quod compressior est, & fere inter montes alueo fluit. Est nauigabilis & millia passuum fere centum vsque ad Cataractam nauigari potest; inde ex rupe lembuculorum adscensum impediente magno
D fragore præcipitatur; lampetrarum ingens eo loci, rupe subcadente in arcum, aqua oribus adhærentium captura est. Nobilis quidam Lusitanus Martinus Ficaretus nomine; cum intelligeret amota Cataracta cimbas vsque ad maxime frumentarios Sarabris, Senticæq. agros paruo negotio subuehi, & frumento onustas prono amne decurrere, incredibili patriæ suæ emolumento; cum ipse priuatus esset; & impari tantæ rei censu, Rege ipso permittente, opus hoc moliri tentauit; atque bonam partem obstaculi

ſummo labore irruperat. ſed illudentibus optimo viro, vel qui ex A
vetere forte ſimultate, nondum illi paccati erant, vel quibus mos
eſt facilius aliorum egregios reprehendere conatus, quam ex ſe
aliquid egregiū conari, hominem tamquā ſemidelirum apud Regem criminantibus à re ſuſcepta prohibendū obloquentibus. Martinus ipſe re ſua conſumpta & attenuata; interuerſoq. æmulorum malignitate Regio fauore, & deſperata ſpe perficiendi deſtitit.

Quid commemorabo de Munda? qui Conimbricenſem ciuitatem alluit inter Durium, atque Tagum æquis fere ab vtroq. ſpatijs ſeparatus, à Durio Tagus, ait Plinius, 200. millia paſſuum interueniente Munda non longe oritur, ipſe etiam aurifer minoribus nauigijs aliquantum, cimbis vero fluuialibus admodum eſt nauigabilis. B

Hic nihil dicam de Minio, quem Iuſtinus libro vltimo à Minij frequentibus venis ſic vocatum fuiſſe ſcribit. Nec de fluuio vacca appellato, medio fere inter Mundam, & Duriū interuallo. Nec de Cuda, quem Luſitani Coā vocant, ex inſcriptione pōtis Alcantaræ. Nec de Tamaca fluuio, qui ex Aquiflauiēſi Colonia, vbi populi Tamacani ſunt, nomen ſortitus eſt. Nec de Nabane & Ozecharo C
fluuijs, quos ſic vocatos accepimus, ex Hiſtoria Sanctæ Virginis, & Martyris Irenes, quæ ante annos octingentos fuit ſcripta. Ozecarus autem eſt, quem Luſitani Zezarum vulgo nominant. Qui Nabanem excipit, ipſe vero in Tagum tanta vi erumpit; vt Taganas aquas ad alteram vſque ripam tanta vi etiam proſcindat, & quaſi indignatus, quod extinguatur à maiore flumine, fere ad mille paſſus prono alueo reſiſtens mixtioni, contumaciter à colore dignoſcitur, qui cærulæas ad nigrorem tendentes, Tagus vero flauas aut ſubalbas vehit aquas. Abundāt hęc flumina magna Lampetrarum, Aloſarum, Trotarum multitudine. Sunt & alia flumina, & fontium gelidæ perennitates, portus maritimi, pontes elegantiſſimo lapide conſtructi, maxima aeris temperies, & alia multa, quæ cum ad rem noſtram hoc in loco non ſpectent, nequaquam poſſunt recenſeri. Nos vero ad Regni Luſitaniæ fertilitatem atq; alia ſimilia & coniuncta his explicanda accedamus. D

Superuacaneum arbitror ſtatim in principio huius Hiſtoriæ com-

A commemorare Regni Lusitaniæ feracitatem admirabilem, & incredibilem amœnitatem, hodiernum ipsius cultum, omnis generis frugum copiam; & vbertatem. Longum enim esset recensere hoc loco omnia illa, quæ in sua monumenta de his veteres auctores retulere. vno tamen Athænei testimonio ero contentus, illudq. adducam, vt quilibet ex illo facile intelligere possit Lusitanæ Regionis fertilitatem, fæcunditatem, felicitatem, & quantum apud veteres semper feracissima habita fuerit. Athænei vero testimonium; quod lib. 8. Dipnosophistarum cap. 1. ita scribit, solum af-
B feram. Quid efferam Lusitaniæ fertilitatem? (est autem Regio Iberiæ; quam Hispaniam Romani appellant; ) cum id rectius declaret Polybius Megalopolitanus. Omnium hominum optime Timocrates, & scribit libro 34. Historiarum, quod in Lusitania, vbi Timocrates natus erat, ob optimam aeris temperiem animalia sunt fæcunda, atque homines, nec vmquam fructus desunt. In ea Regione sunt rosæ, albæq. violę, asparagi, & alia omnia huiusmodi non desunt per maius temporis spatium, quam trium mensium. At marinum obsonium, quod ad multitudinem, bonitatem, pul-
C chritudinemq. spectat, maxime differt ab eo, quod est in nostro mari. Nam & hordei siclus, qui medimnum continet, drachma venundatur, & tritici nouem Alexandrinis obolis, vini metreta drachma, hædus mediocris obolo, sic & lepus. Agnis vero trium vel quatuor obolorum pretium esse consueuit. Sus tamen, qui ad centum librarum pōdus accedat, drachmis quinque in cęnas emitur, duabus autem ouis, & tribus obolis ficuum talentum emitur.

Vitulus drachmis quinque, bos iugo aptus decem, siluestrium
D vero animalium carnes nec pretio quidem vllo dignæ putantur. Sed has inter se conferunt, benignēq. admodum vicissim largiuntur atque mutant. Nobis vero bonus Larensius Lusitaniam Romæ adesse facit, quotidieq. varijs implet bonis, vt cum suauitate, & magnificentia, omnia conficiantur, studet, cū nihil domo afferamus, præter sermones & hæc de Lusitaniæ feracitate sufficiant.

De nostrorum fortitudine nihil dicam, nisi quod veteres & recentiores auctores memoriæ prodidere. Diodorus Siculus omnium Celtiberorum fortissimos esse Lusitanos constanter audet

affirmare. Liuius etiam quamplurima de Lusitanorum fortitudine enarrat, & expendantur quæso, verba ipsius in initio lib. 5. Decadis vero quartæ, apponam expressa eius verba, quæ talia sunt. Prætor hæc gesserat Scipio; idem proprætor Lusitanos deuastata vlteriore prouincia cum ingenti præda domum redeuntes in ipso itinere aggressus ab hora diei tertia ad octauam incerto euentu pugnauit, numero militum impar, alijs vero superior. Nam & acie frequenti armatis ad longum, & impeditum turba pecorum agmen; & recenti milite aduersus fessos longo itinere concurrerat. Tertia namque vigilia exierant hostes. Huic nocturno itineri tres diurnæ horæ accesserant, nec vlla data quiete viæ prælium exceperat. Hæc Liuius. bene tamen, sed quod itinere longo fessos, & de tertia vigilia egressos, præda atque longo agmine impeditos esse confessus est, parum alioquin fidei habiturus.

A (margin, line 1) · B (margin, "rat. Tertia namque vigilia...")

Non enim res agebatur cum fugacibus Armenijs, & ventosi Tigranis exercitu. Sed cum Lusitanis assuetis pugnare contra Romanos, quorum forti opera vsus fuerat Hannibal, non modo in Hispania, sed in Italia quique Lucij Aemilij Pauli proprætoris exercitum apud Lyconem opidum profligauit, sex vno prælio Romanorum millibus cæssis cæteris intra vallum cōpulsis atque ægre castra defendentibus, tandem ad modum fugientium magnis itineribus in paccatum agrum reductis. Hoc idem testatur similiter Liuius lib. 7. Decadis 4. quo in loco doctores aduertunt, & lectores huius indigni operis admonitos esse velim, quomodo Romanorum fugam scriptor facundissimus obumbret, ad modum fugientium in agrum paccatum perductos memorans. Orosius certe facundissimus & eloquentissimus auctor in libro 4. suæ Historiæ cap. 20. L. Aemilium cum vniuerso exercitu cæsum interijsse dicit, & cap. 21. Sergium Galbam prætorem à Lusitanis magno & incredibili prælio victum, vniuerso exercitu amisso, cum paucis vix elapsum euasisse narrat. Ex qua ignominia cū se postea vlcisci Galba statuisset, Lusitanos, qui citra Tagum habitabant, sponte sua sese dedentes ad colloquium vocauit. Simulans se de eorum commodis acturū. Sed circūpositis militibus inermes atq; incautos per scelus maximum omnes profligauit. Quæ res, ait Orosius,

C (margin, "exercitum apud Lyconem...") · D (margin, "riæ cap. 20...")

postea

A postea vniuersæ Hispaniæ propter Romanorum perfidiam causa maximi tumultus fuit. Trium etiam ciuitatum Lusitaniæ conuocato populo, vt auctor est Valerius Maximus lib. 9. titulo de perfidia, nouem millia, in quibus flos iuuentutis consistebat, partim trucidauit, partim vendidit. M. Cato acriter accusauit Sergium Galbam pro interfectis contra fidem interpositam Lusitanis, vt in Bruto M. Tullius testatur: & in libris de diuinatione idem Cicero id latissime explicat, quæ breuitati studentes nunc omittimus. latissime etiam hoc idem explicat Asconius Pedianus, atque Titi Liuij Epitome lib. 49. Idem etiam Valerius Maximus lib. 8. cap. 1.
B declarat Catonem nonagesimum annum ætatis suæ agere, cum Galbam accusauit, quod idem etiam testatur Liuius lib. 9. 4. Decadis. illa enim, quæ Orosius testatur ex Claudio, quid referam? 300. Lusitanos cum mille Romanis pugnam commisisse ait duce Viriato Lusitano, in qua septuaginta Lusitani, Romani vero trecentum & viginti ceciderunt, cumque victores sparsi iam atque securi abijssent, vnusque ex illis longe à cæteris segregatus maneret; à circumfusis equitibus pedes ipse est deprehensus; ille tamen, vnius
C eorum equo lancea perfosso; ipsius equitis vno gladij ictu caput diffecuit, & subito abscidit. Quo facto ita omnes metu percussit, vt prospectantibus cunctis; ipse eos contemnens otiosius abscederet. De Viriato Lusitano plura & vera poteram hoc in loco commemorare. De quo cum veteres plura memoriæ mandauerint, nonnulla dicam. Plinius in suo libro de illustribus viris de Viriato Lusitano sic ait. Viriatus genere Lusitanus propter paupertatem, primo mercenarius, deinde alacritate vector ac postremum dux. Bellum aduersus Romanos sumpsit, eorumq. Imperatorem
D torem Claudium Vnimanum, deinde Caium Nigidium oppressit: pacem à Popillio maluit integer petere, quam victus; & cum alia dedisset, & arma retinerentur, bellum renouauit. Q. Cæpio à Senatu contra Viriatum missus est, qui cum vincere aliter non posset, duos satellites pecunia corrupit, qui Viriatum humi depositum perimerent. Quæ victoria, quia empta erat, à senatu non fuit probata, nam Viriatus decem & quatuor annos Hispanias aduersus Romanos munierat, & hostes Romani aperte quam ex insi-

dijs

dijs superare, & occidere vellent. A

Florus vero hæc de Viriato ait, Viriatus Lusitanus vir calliditatis acerrimæ; qui ex venatore subito Dux, atque Imperator; etsi fortuna, cesisset Hispaniæ Romulus, non contentus libertate suorum per quatuordecim annos omnia citra vltraq. Iberum, & Tagum igni, ferroq. populatus. Castra etiam Prætorum, & Præsidum aggressus, cum Claudium Vnimanum pęne ad internitionem exercitus cęcidisset, & insignia trabeis, & fascibus nostris, quæ ceperat, in montibus suis trophæa fixisset, tandem eum Fabius Maximus Consul oppresserat, sed à successore Seruilio violata B victoria est, quippe qui conficiendæ rei cupidus fractum ducem, & extrema deditionis agitantem, per fraudem & insidias & domesticos percussores aggressus hanc hosti gloriam dedit, vt videretur aliter vinci non posse.

Iustinus autem de Viriato ait, in tanta sæculorum serie nullus illic dux magnus præter Viriatum fuit; qui annis decẽ & quatuor Romanos varia victoria fugauit, & per multũ temporis fatigauit. Adeo feris propriora quam hominibus ingenia sunt. Quem ipsum nõ iuditio populi electum, sed vt cauendi scientẽ declinãdorumq. C periculorum peritum secuti sunt, cuius ea virtus cõtinentiaq. fuit, vt cum consulares exercitus frequenter vicerit, tantisq. rebus gestis non armorum, non vestis cultum non deniq. victum mutauerit, sed in eo habitu; quo primum bellare cepit; perseuerauerit, vt quiuis gregarius miles ipso Imperatore etiam opulentior videretur.

Orosius vero lib. quinto cap. quarto hæc de Viriato refert. Viriatus in Hispania genere Lusitanus, homo pastoralis, primo infectando vias, deinde vastãdo prouincias, postremo exercitus Prętorum, & Consulum Romanorum vincendo, fugando, subigendo, D maximo terrori Romanis omnibus fuit. Siquidem Iberum, & Tagum maxima, & diuersorum locorum flumina late transgredienti & peruaganti C. Vetilius prætor occurrit. Qui continuo cæso vsque ad internitionem pæne omni exercitu suo vix ipse prętor cum fuga lapsus euasit. Deinde C. Plautium Prætorem ipse Viriatus multis prælijs fractum fugauit. Post etiam Claudius cum magno instructu belli contra Viriatum missus, quasi pro abolenda

supe-

A superiore macula turpiorem ipse auxit infamiam, nam congressus cum Viriato, vniuersas, quas secum adduxerat copias, maximasq. vires Romani amisit exercitus.

Non opus est hoc loco recensere; quoties ab alijs Ducibus Lusitanis Romanorũ exercitus fusi retardatiq. fuerint, nã Iulius Florus lib. 2. cap. 17. sæpissime Romanorum exercitum à Lusitanis Ducibus fractum, & cæsum fuisse ait. Et eodem in loco tota certaminum moles cum Lusitanis fuit, nec immerito quippe solis gentium duces contigere, ex quibus verbis facile quilibet dignoscere B poterit ad victoriam maximum momentum duces afferre. Nam quotiescumq. milites nostri militaris rei non ignaros duces habebant non tantum se iactabant Romani. Euidentissimum & clarissimum exẽplum erit vel Viriatus ipse, quem paulo ante memini, qui annos decẽ & quatuor varia victoria Romanos fatigauit adeo feris, quam hominibus Lusitanorum ingenia sunt propriora. Dic quæso Iustine, cur feris quam hominibus propriora nostrorũ Lusitanorum ingenia dicis? quia annos decẽ & quatuor varia victoria Romanos fatigare, & vexare non destitere? poterã, & merito hoc C in loco quamplurima exempla proponere ducũ Lusitanorum, qui nostra ætate magnam gloriam & nomen sibi compararunt; vt illorum præclarissime res gestas omnes agnoscerent ad quorũ manus hæ nostræ elucubrationes peruenerint, sed quia partim in vita Regis Emanuelis, & aliorum Regum quamplurima commemorantur, partim alij auctores illa in eorum monumenta retulere; ideo abstinendum hic duxi. Nam de ijs, quæ Reges nostri edidere, quamplurima statim referam, vt omnes intelligant, quales fuerint nostri Reges, & præcipue de Alfonso Henrici primi Lusitaniæ D Comitis filio, de quo auctores Typis mandarunt in agro Orichiensi eum Ismario, & alijs quatuor Saracenorum Regibus manus conseruisse, eorumq. impetus retardasse, omnes enim eo die crimina expiauerant, & Sacrosanctam Eucharistiam acceperant deuotissimo ore: Iesus vero Saluator noster in Cruce pendens, ipsius Alfonsi primi Lusitaniæ Regis oculis obuersatus dixit, in hoc signo vinces, quod ex testimonio ipsius Regis in ipsius vita apposito declaratur. die vero sequenti quinque illorum Saraceno-

ceno-

cenorum Regum impetus comminuit, & retardauit Alfonsus A
Henrici filius, & Regium nomen vltra citraq. mare comparauit.
De fortitudine nostrorum hæc dixisse hac in parte sufficiat. De
moribus vero aliqua dicenda, & breuiter sunt, vt ad alia postea
enarranda accedamus.

Multa strabo refert de nostrorum Lusitanorum moribus veluti
suo tempore acceperat, nec tunc quidem malos, nec nobis modo
erubescendos; quorum multi cum Religione mutati sunt, multi
etiam huc vsque durant, quod Lusitanos strabo insidiatores vocet,
nemo in malam partem id ab illo dictum esse accipiat. est enim B
militare vocabulum, vt admonuit Iulius Pollux cap. 10. Ea enim
de re Cicero Q. Fabium maximum laudat libro primo de officijs,
callidum Hannibalem ex gente Pænorum, ex nostris ducibus Q.
Fabium Maximum accepimus facile celare, tacere, dissimulare,
insidiari, præripere hostium consilia. Leui armatura Lusitanos vti
affirmat Cæsar primo belli ciuilis commentario A. Romanis, Gallis,
atque Germanis grauiorem accepere, & quæ Panoplia vocatur.
pedites Lusitanos Cetratos pugnare, & Cæsar, & Liuius,
& sic etiam alij plerique attestantur; & Dion Cassius Herminij C
montis incolas insidias Cæsari parasse dicit; vsus vero pugionum
Lusitanis antiquissimum esse sciunt omnes, qui veterum libros
euoluunt. Nam me puero cum Olisipone degerem magno in honore
pugionum vsus adhuc viris erat, qui vsus paulatim defluxit
ad siccas. Nam apud nostros vnusquisq. fert plura iacula, Calaicorum,
& Bracarorum præsertim. Pleriq. ex plebe etiam nunc id
obseruant, cum ad agros egrediuntur bina fere iacula, & quidem
amentata; vtuntur etiam nonnulli hastilibus, qui mos est Transtaganorum;
etiam cum pedibus iter faciunt, lanceas satis oblon- D
gas gestant extra urbem, quæ cum equitant habiliores sunt. Spartano
vero ritu Lusitanos degere, & Græcorum more Hecatombas
facere, gymnica certamina exercere, & quæcumque alia ad hoc
spectantia, omnia eo reducuntur, vt Græcam nostrorum originem
ostendant. Aquæ potores sunt, quod & veteres affirmant, & hic
mos ad nostram ætatem vsque etiam magna ex parte durat, præsertim
inter nobiles, pueri autem citra pubertatem abstemij sunt
fere.

A fere. Regibus autem, & Principibus Lusitanis semper solemnis fuit vini abstinẽtia, quod in Rege Emanuele, & in alijs Regibus, vt infra dicemus, laudatissimum fuit. Hoc vero de nostrorum moribus hoc loco dicam Lusitanos in vera & Catholica Religione tuenda & propugnanda demonstrasse mores vere Catholicos, & hac in re fidei zelum præseferentes vehementer eminent, & de nostrorum moribus statim in initio hæc dixisse satis sit, nos vero ad instituta accedamus.

Sed antequam ad primum Lusitaniæ Comitem Henricum
B Burgundum, & ad alios Lusitaniæ Reges deueniam, illorumq. pæne diuina & incredibilia facta explicem. Hoc dicam, ne obtrectatores de nobis aliquid mali suspicentur; illud nobis venire in mentem, rem tantam magis amplificandæ patriæ nostræ studio & alacritate, quam aliquid perficiendi facultate aggredientibus, merito vereri debere, ne, quoniam permulta, cum sacris tum profanis in rebus supra naturæ vim facta subinde exponẽtur, narratio earum rerum, quæ tam Henricus Burgundus primus Lusitaniæ Comes, & eius filius Alfonsus primus
C Lusitaniæ Rex, quam eius posteri, tam Reges, quam eorum filij fortissime effecere, plus fortasse admirationis apud quosdam sit habitura quam fidei, & vt est hominum captus, id plerumq. euenire cernimus, vt tantum quisque credat, quantum se viribus, aut ingenio suo se præstare posse confidat. Quidquid vero communem vsitatæ virtutis & industriæ modum superat, id nullo modo prorsus admittit. E contra etiam, qui nullum modum ambitioni statuunt, admodum ægre patiuntur, si eorum Reges
D illorumq. filij præcipue minime fuerint immodicis laudibus illustrati. Quod cum apud alias nationes fieri soleat, tum apud nostros Lusitanos tantam plerumq. offensionem scribendæ Historiæ munus affert, & præcipue cum de illorum Regibus scribitur, vt omnium nostrorum tela in eum, qui tantum facinus velit audere, directa adhærescant. Id quidem non ita pridem quã plurimi viri sapientissimi comprobarunt exemplo & experimento, quos omnes honoris causa nunc silentio inuoluo. De illo vero, qui Regis Emanuelis gesta Lusitano sermone comple-

xus est, nec reticere nec dissimulare possum. Res, inquit auctor A ille, maiorum meorum, non perinde atque eorum merita postulabant, exornaui; quamuis alius labem generi nostro & antiquo splendori nobilitatis aspersit; alius postremo hoc aut illud, quod ad laudem nominis Lusitani erat, prætermisit. Quod si prudentis hominis est alienis periculis admoneri, hoc vno vere exemplo potuissem ancipitem euentum scribendi perhorescere; sed quo plura me impediebãt, eo clarius cerni potest animus meus studio ardentissimo nominis & amplitudinis nostrorum Regum inflammatus. Cuius rei maiore desiderio flagrabam, B cum viderem neminem ex nostris id aliquando effecisse. Accedebat etiã, quod nullus nostrorum copiose & diffuse nostrorum Regum gesta vnquam latinis litteris ab obliuione vendicauit, nec exteræ nationes vnquã Lusitanorum Regum gesta cognouere. Ideo me continere non potui, quin hoc negotium libentissime susciperem, quod, vt libentius facerem, multa me incitabant, sed illa maiores stimulos admouebant, cum viderem me volũtatem Philippi Regis nostri vere Catholici aspernari sine maximo impietatis crimine non posse, tum indignissimum C existimabam nomen Lusitanum apud Hispanos tantopere celebratum non etiam per vniuersas orbis partes propagari & extolli, & in hoc opere nostrorum Regum gesta, in quibus non tam res humanas quam propre diuinas (vt existimare licet) explicandas suscepi, enarranda erant. Nunc ergo ad Henricum Burgundum primum Lusitaniæ Comitem veniam.

## *HENRICVS Primus Lusitaniæ Comes.* D

HENRICVS Burgundus Primus Lusitaniæ Regni Comes, & pater Alfonsi primi Lusitaniæ Regis natus est Vesontij, vulgo hodie Bezançon dicitur. De origine vero Henrici multa variaq. auctores tradidere. Alij enim Pannonicum, Hungariæ Regis filium fuisse arbitrãtur; alij autem Græcum natum ex sanguine Constantinopolitanorum

rum

A rum Imperatorum fuisse dicunt, plures vero & maiori ex parte Lotharingum fuisse testantur. Nos vero horum auctorum sententijs omissis, & rei veritate inspecta, Burgundum procul dubio fuisse confitemur. Henrici autem pater fuit Comes Vernoliensis, & Brionensis nomine Guido, filius Reginaldi, & Alisæ comitum Burgundiæ, qui frater fuit Guilielmi Burgundiæ Comitis. Henricus ergo primus Lusitaniæ Comes, Henricum Stephanum Comitem Burgundiæ & Tolosæ, & Raymundum Comitem Sancti Aegidij, qui postea Calleciæ in Hispania
B Comes fuit, cum ad sacrum bellum, maxima cum classe, qua innumeri milites vehebantur; contenderet, sui itineris socios habuit. Habuit etiam præter hos, quos antea nominaui, qui sibi maxima sanguinis coniunctione coniuncti erant, Fratres Patrueles Calixtum II. Pontificem Opt. Max. & Clementiam. quæ vxor fuit Roberti Serenissimi Galliæ Belgiæ Comitis, qui filij erant Guilelmi eiusdem Henrici Comitis Lusitaniæ patrui. Hanc sententiam veram esse proculdubio existimo. Nam præterquam quod illam viri doctissimi amplectuntur, in-
C ter quos est L. Andreas Resendius antiquitatum Lusitaniæ verissimus & diligentissimus perscrutator, & Eduardus Nonius à Leone Iureconsultus Lusitanus, nostrorum monumenta hoc clarius quam dixi, demonstrant. Hæc omnia idem Eduardus Nonius in illo suo libello inscripto, censuræ contra Iosephum Teixeiram, id latius declarat, & plura cõmemorat exempla. Eo autem tempore, quo Henricus Burgundus, cum maxima equitum multitudine, quæ illum comitabatur; (ad sacrum enim bellum Henricus de anno 1088. contendere decreuerat) in
D Hispaniam appulit, magnus Alfonsus Sextus Hispaniæ Rex, qui Toletanam ciuitatem expugnauit, & Imperator appellatus fuit, Imperio Hispaniæ potiebatur; & aduersus Saracenos, qui vniuersam occupauerant Hispaniam, bella continenter gerebat, qui Alfonsus Imperator ex diuersis vxoribus 3. habuit filias, nempe Eluiriam, Therasiam, atque Orracam. Ex his tribus filijs Alfonsus, Therasiam filiam ex Simena Regina, & eius iusta vxore, & eidem Alfonso valde dilecta Henrico, vt illum

arctiore necessitudinis vinculo constringeret, atque sibi contra Sarracenos pugnãtem suppetias ferret & auxiliaretur, vxorem dedit. Nam ad Alfonsum laborantẽ in recuperanda Hispania, ab durissimo iugo Maurorũ, ex totius orbis partibus maxima fortissimorum hominum multitudo militiam suam Christo deuouentes, & pro ipsius nominis gloria se, & omnia sua libentissime offerentes, quamuis cum euidentissimo mortis periculo, confluebant. Inter alios autem, qui ea tempestate Alfonso in bello auxiliabantur, primatum inter omnes tenebant Raymundus, vt antea dixi Comes Sancti Aegidij, & Henricus Burgundus, qui fuit primus Lusitaniæ Comes, & Henricus Comes Tolosæ & Burgundiæ. Quos omnes, vt vinculo necessitudinum (quamuis, vt paulo ante dixi, ad Sacrum bellum contenderent) arctius Alfonsus Castellæ Rex, qui ea tempestate cum mauris Hispaniam occupantibus, bellũ gerebat, sibi coniungeret & copularet, triũ filiarum, quas nubiles habebat, connubijs, fortissimos duces sibi deuinciendos esse existimauit. Eluiram ergo filiã suam dilectissimam Comiti S. Aegidij, Therasiam autẽ charissimam, quam maiore amore prosequebatur, cum esset Regina moribus spectatissimis, Henrico Burgundo, qui Lusitaniæ imperio postea potitus fuit; cuius facta nulla vnquã obscurabit obliuio. Orracam vero trium, vt nõnulli tradunt, natu maximã, quamq. similiter vehementer diligebat, alijs vero natu minimam fuisse placet, atque post defunctam Simenam Reginam ex vxore Constantia natam Henrico Comiti Tolosæ & Burgundiæ, (nec enim hac in re inter ipsos auctores, qui annales Hispaniæ scripsere, & res gestas Hispanorum in monumenta sua retulere, satis conuenit) in matrimonium collocauit; Nos vero horum omnium auctorum hac in parte opinionibus reiectis & prætermissis, in præsenti de Henrico Burgundo verba facimus solum. Cui Alfonsus Imperator vxorem dedit Therasiam filiam vnice amatam, illiq. eam Calleciæ partem, Bracharos, appellatos, qui à Minio, vsque ad Durium continentur, & totum id, quod tunc Portucale vocabatur, similiter etiam vniuersam prouinciam interamnem, & ciuitatem Visensem, Lamacen-

A macenſem, Bracharenſem, Portucalenſem, & opidum Vimarienſe, (quod apud noſtros vulgari idiomate Guimaranes nuncupatur) necnon Scenarum Caſtrum, atque quamplurima alia opida, vſque ad Conimbricenſem ciuitatem Theraſiæ filiæ dotis nomine aſſignauit & tradidit Alfonſus Imperator. Præterea liberũ reliquit, vt vniuerſam Luſitaniam ex Sarracenorum jugo armis recuperaret gener Henricus, & ſub ſuum Imperium redigeret, ſuæq. etiam adderet ditioni, & dominio, atque omnia, quæ vltra continentem erant, debellaret. Hanc vero Lu-
B ſitaniæ partem, quam Theraſiæ filiæ in dotem dedit Alfonſus Imperator, Fernandus ipſius Alfonſi Sexti pater, vi à Mauris extorſerat & eripuerat. Quam donationem ſeu feudum, vt ita dicam, ea conditione Theraſiæ filiæ conceſſit Alfonſus, illudq. de nouo inſtituit, vt perpetuis futuris temporibus ad Comitia, quæ in Regno Legionenſi fierent, Henricus Burgundus met atque poſt ipſius obitum eius in Regno Luſitaniæ hæredes venire tenerentur omnino. Si tamen aliquod neceſſarium adeſſet impedimentum, quo venire ipſemet Luſitaniæ Comes, ſeu
C Rex nequaquam poſſet. Quidam ex vniuerſæ Luſitaniæ proceribus princeps, ſeu Dux, aut Comes, aut Marchio cum ampliſſima, & indubitabili potentia, & facultate ab ipſo Luſitaniæ Regni domino, & patrono ſubdelegata mitteretur ad Caſtellæ Regnum Legatus, nomine ipſius Luſitaniæ Regis, ſeu Comitis. (erat enim eo tempore Comitatus Luſitaniæ) ſi tamen caſu aliquo, & fortuna eueniret, vt in Regno, ſeu Comitatu Luſitaniæ aliquod non adeſſet impedimentum, & bellum maximum, & grauiſſimum Regibus Legionis, & Caſtellæ
D immineret, & adeo opprimeretur, vt nequaquam hoſtium impetus aut retardare, aut comminuere poſſet Legionis, & Caſtellæ Rex, & ſi caſu aliquo accidere & contingere poſſet, vt idem Luſitaniæ Comes, ſeu Rex, ſi deinde crearetur, accedere cum copijs, & epibatis equitibus non valeret, hoc caſu penitus teneretur leuis armaturę milites trecentos ſuis proprijs impendijs & ſumptibus in Regis Caſtellæ auxilium mittere. Rex vero Caſtellæ, vt Luſitaniæ Comitem ad hanc vnam rem ope-

re

re complendam arctissime obligaret & astringeret, onus imponendum esse censuit. vnde tributum non magnum imposuit, quod postea idem Henricus soluere neglexit,& nonnullas alias post addidit conditiones & pacta, quæ tempore eiusdem Henrici Burgundi exolcuerant. Nos breuitati studentes illa hoc loco omittenda esse duximus. His vero conditionibus non adimpletis ab Henrico Burgundo, & ipsius hæredibus & successoribus ad Regnum Legionense, seu Castellæ Lusitaniæ comitatus iterum rediret, vel potius, vt vulgo iurisperiti loquuntur; deuolueretur, cum ab eodem Regno Legionensi distractus & diuulsus esset, quod fecit Alfonsus Imperator sine procerum Regni sui assensu, qua de re multæ sunt exortæ postea controuersiæ. Nam Fernandus Alfonsi Imperatoris pater filio eius Garsiæ hunc Lusitaniæ comitatum simul cum Regno Calleciæ adiuncto Regio titulo eius tantum durante vita concesserat. Hanc vero diuisionem, cum eius frater Sanctius natu maior admodū iniquo animo pertulisset; fratri Garsiæ bellum indixit, Cumque acerrimum inter duos fratres bellum exardesceret, postque dimicatum esset, & sæpissime manus conseruissent; tandem in bello captus; & in vincula coniectus est Garsia, quo è medio sublato vniuersæ Hispaniæ imperio potitus est Sanctius Alfonsi Imperatoris frater; quo etiam post aliquod temporis interuallum interfecto, dum ciuitatem Zamorensem in Regno Castellæ obsidione cingeret, à quodam Belido Dulfo omnium Hispanię Regnorum primatum,& supremum imperium habuit Imperator Alfonsus Therasiæ Reginæ pater, apud quem Henricus Burgundus, de quo nunc loquimur, admodum fuit gratiosus, & tanta apud illum auctoritate, & potentia valuit, vt hoc vix credi possit. Nam præterquam quod illi in rebus bellicis operam maximam, & strenuam industriā exhiberet, ipsius consilijs Alfonsus Imperator magnam fidem semper adhibuit, erat enim Henricus Burgundus vir impiger, veritatis amator, non solum togæ, sed rei bellicæ peritissimus, vt euidentissime demonstrant illius digna immortalitate facinora, quæ nostri in monumenta sua retulere, quas ob causas

Alfon-

A Alfonsus Imperator eius socer illi plurimum fidebat. Cumq. socer Alfonsus ciuitatem Toletanam obsidione premeret, vt eam sub suum redigeret imperium, & Mauros eam possidentes inde expelleret, illi vehementer auxiliatus fuit, & Mauros omnes inde expulsos illius sæuissimo Imperio cedere coegit. Tot enim tantaq. inaudita & egregia facinora edebat Henricus Burgundus, tam intrepide, & seuere socero in bello axiliabatur, vt ipsius Henrici nomen, fama, virtus, incredibilis animi magnitudo apud omnes totius orbis partes in dies magis,
B atque magis elusceseeret, & propter sanguinis claritatem, & res præclare admodum, & fortiter gestas non solum omnibus gratissimus & charissimus esset Henricus, sed etiam per vniuersas totius orbis partes eius nomen indies magis, atque magis dilataretur. Hoc vero illi insigne & semper toto corde insitum & innatum fuit, vt in constituenda, & corroboranda vera, & Catholica Religione, dies noctesq. omnes animi neruos intenderet. Cum optime intelligeret in Dei timore veram felicitatem consistere, vnde in comitatu Lusitaniæ præter militum
C supplementa, viros ex omni Religione selectos accersiuit, quibus grauissima negotia ad ciuilem Rempublicam in pace constituendam sæpissime cõmunicaret, quare tot tantasq. victorias ab hostibus reportauit, vt eodem anno ter & quater triumphans in Lusitaniæ comitatum intrauerit, & quod hæc omnia superat, vsque adeo pius perhibetur, vt victorias vulgo acceptas huic pietati referant, quas breui tempore, & non obscuras, nec paucas paruisque copijs de nominis Christiani hostibus reportauit.

Duxit ergo in vxorem Henricus Burgundus Therasiam ve-
D ram & legitimam filiam alfonsi Sexti Imperatoris nuncupati; quam sibi peperit Simena Regina vera & legitima vxor non autem concubina; vt Rodericus Toletanus Lusitanis parũ æquus, atque omnes illius sequaces arbitrantur. Nam priores duas nẽpe Eluiriam, & Therasiam, quas supra meminimus, ex Simena concubina natas fuisses existimant. Rodericus vero Toletanus, & omnes, qui eius opinionem amplectuntur, cum in rebus Lusitanorum parum sint versati, & Hispanas etiam non recte

calleant

calleant hac in re decipi poterant. Non enim chronicon scriptum Hispana vetusta lingua videre septuaginta annos, priusquam Rodericus Toletanus natus fuisset, conscriptum, quod olim apud L. Andream Resendium antiquitatum totius Hispaniæ diligentissimum, & vigilantissimum perscrutatorem visebatur, & hac nostra tempestate in Archiuio ciuitatis Eborensis visitur, in quo eadem Simena non concubina, sed iusta vxor & Regina Castellæ & Legionis diserte & verissime perhibetur, & comprobatur. Hanc veram, & minime dubiam sententiam tenent, & amplectuntur omnes illi auctoses, qui Hispaniarum monumenta recte & exacte euoluere. Hanc camdẽ tenet, & verissimam esse demonstrat L. Andreas Resendius in libro de antiquitatibus Lusitaniæ, & idem hoc cõprobat latius, & quidẽ prolixe, vt idem ait, in epistola ad Ioannem Barrium, in qua luculenter & copiose & genere dicendi amplo & verbis grandi & enucleato idem confirmat, vbi veram rerũm cognitionem cum rebus antiquitatis connectit. Hanc eamdem sententiam verissimam esse docet Iacobus Mænetius Vasconcellius in libro L. Andreæ Resendij, quem ipse iussu Henrici Regis absoluit, quam etiam omnes illi, qui res Lusitaniæ recte recognoscunt, & Hispaniæ vetera monumenta euoluere; amplectuntur. Therasiam enim Reginam fuisse appellatam ingenue confitentur omnes illi, qui res Hispaniæ & Lusitaniæ recte callent, quod etiam constantissime omnes illi, qui contrariam sententiã amplectuntur, confitentur. Veram ergo, & legitimam fuisse filiam dicere est, opus, & legitimo matrimonio susceptam. Nam omnes filiæ Regum ex vero & legitimo matrimonio habitæ tunc temporis Reginæ appellabantur, non vero illegitimæ & ex concubina susceptæ, hæ enim iustæ, & legitimæ filiæ non erant, in re tamen clara amplius immorari non licet, lippis enim, & tonsoribus hoc notissimum est.

Habuit Henricus Comes Lusitaniæ ex Regina Therasia eius vxore Alfonsum primogenitum eius in Lusitaniæ comitatu hæredem & successorem, qui post patris mortem Dux fuit Lusitaniæ, postea princeps adhuc viuente matre Therasia, quæ Regina

A gina appellabatur, tandem Rex à suis acclamatus, vt in eius vita dicam.

Suscepit etiam Henricus ex vxore Therasia Orracam; quam duxit in vxorem Veremundus Paes Comes Transtamaræ, qui dominium suum in Callecia habebat. Aliam etiam filiam illi peperit Regina Therasia, quam Henricus pater eodem matris nomine appellari fecit, quæ matrimonium contraxit cum Fernando Menendio, qui in Callecia similiter domicilium suum constituerat.

B Habuit etiam Henricus ex concubina filium naturalem, quem Petrum vocauit; virum in rebus bellicis strenuum & impigrum; & rei militaris peritissimum, quem in expugnatione Scalabis, seu Iulij præsidij, vulgo apud nostros Santarem dicitur, Alfonsum fratrem multum adiuuisse nostri auctores in Regum Lusitaniæ annalibus scribunt.

Anteaquam ad alia Henrici Burgundi facinora commemoranda accedam, mihi visum fuit, hoc in loco recensere Henricum hunc Burgundum Portugalliæ Comitem primum non C fuisse illum Henricum Lemburgensem, quem nonnulli auctores fuisse arbitrantur. Hoc vero clarissime subducta temporis ratione satis videtur constare, quæ ratio clarissima est, atq; mihi videtur esse præcipuum Historiæ fundamentum. In hoc enim robur veritatis, cuius magistra est historia, consistit. Nam per ea tempora, quibus Henricus Burgundus Portugalliæ Comes in Hispania morabatur, & socero Alfonso, vt ex Sarracenorum iugo & tyrannide vniuersam Hispaniam liberaret, & suam sub potestatem mitteret, opem ferebat, atque sui co- D mitatus fines longe lateque dilatabat, & indies magis, atque magis Sarracenos ex multis Lusitaniæ partibus expellendo propagabat imperium, & liberos ex Regina Therasia suscipiebat, illosque indulgentissime maximo cum sui honore procreabat; ille Henricus Lemburgensis, quem isti auctores meminere, qui Henrici Quarti Imperatoris propinquus fuit, in Germania magnis bellorum fluctibus iactabatur &, vt aiunt, fluctuabat, cum bellum ciuile admodum acre per ea tem-

pora inter Henricum Cęſarem Quartum & Henricum filium vigeret, quo ſe implicuit Lemburgenſis Henrici ſenioris partes ſecutus. Cumque Henricus Imperator Henrico Lemburgenſi pro tali beneficio par pari gratiam referre vellet; illum Lotharingiæ ducem in Godofredi Regis Hieroſolimitani demortui locum ſuffecit; anno 1100. Poſtea vero cum Henricus Imperator hoc nomine 5. imperium conſecutus fuiſſet, hunc eumdem Henricum Lemburgenſem anno 1106. Ducatus dignitate priuauit, & in exilium compulit ire. Deinde Remalcus auctor non ſpernendus conſtantiſſime affirmat anno 1181. hunc eumdem Henricum creatum fuiſſe Comitem Lemburgenſem ab Imperatore Federico primo, ex quibus meo iuditio facile dignoſci poteſt, alium fuiſſe Henricum Lemburgenſem, alium vero Henricum Comitem Luſitaniæ. Accedit etiam, quod nonnulli alij auctores memoriæ prodidere, hunc eumdem Henricum Lemburgenſem vitam cum morte commutaſſe abſque eo, quod aliquos liberos ſuperſtites habuiſſet, inter quos eſt Pontus Euterius Delphicus in Hiſtoria Burgundicarum rerum in geneaologia Brabantiæ. Si ergo Lemburgenſis nullos filios reliquit, & res luce meridiana clarior ſit, & vniuerſo Luſitaniæ Regno notiſſima & clariſſima Henricum Burgundum Luſitaniæ Comitem habuiſſe filios, & patrem fuiſſe Alfonſi primi Luſitaniæ Regis; vt in ipſius vita infra latiſſime commemorabo. Quid eſt hac in re dubitandum? Illi ergo, qui hanc rem exacte voluerint perpendere; ex temporum ſupputatione facilime intelligent illum fuiſſe coætaneum potius filij Alfonſi Regis quam Henrici patris. Nam Henricus Burgundus Luſitaniæ Comes ab anno 1088. quo in Hiſpaniam cum alijs nobilibus, quos diximus, peruenit, in ea domicilium collocauit, ſemper in eodem Regno commorans ſedem ſuam ibi perpetuo conſtituit. Atque Dynaſtiam ſeu comitatum ſemper habuit, cum Theraſiam Reginam duxiſſet vxorem. Prætereà de anno 1094. filium Alfonſum illi peperit Theraſia Regina, qui patris fuit hæres. Suſcepit deinde alios filios & filias, & tandem de anno 1112. vt diximus ſupra: Henricus Burgundus è viuorum contubernio emigrauit.

A uit. Cum per annos viginti tres Lusitaniæ comitatū obtinuisset, ex quibus omnibus clarissimū esse videtur, aliū fuisse Henricum Burgundum Comitem Portugalliæ, aliū vero Henricum Comitem Lemburgēsem; sed ad Henricum Burgundum reuertamur, & istorum sentētiam reiectam pluribus confutare non est opus.

Postquam comitatum Lusitaniæ obtinuit Henricus Cathredales Ecclesias Bracharensem, Lamacensem, Visensem, & Portucalēsem à Sarracenis penitus dirutas & labefactatas suis proprijs impendijs de nouo ædificauit, illasq. sic erectas & ele-
B gantissime & apprime ornatas suis pontificibus iterum restituit, quas etiam magnis redditibus locupletauit; & alia edidit opera, quæ eius nomen immortalitati commendarunt.

Præterea in Lusitaniæ Republica gubernanda fuit Henricus satis cordatus, & non solum optimos & rectos Antistites rebus Ecclesię præposuit, sed etiam in politica disciplina optimos Reipublicę rectores, quoad poterat, constituebat, & quā plurima de Reipublicæ regimine eos admonebat, & cum suis proceribus sæpissime omnia ad Rempublicam optime regendam consilia
C communicabat, illisq. inculcabat, quod veluti nauis gubernator ad cursum secundum, & medicus ad ægri salutem omnes suas curas & cogitationes refert, sic bono principi eorum, quibus præest, vita beata proposita debet esse, vt illi bonis fortunæ sint locupletes & copiosi, corporis viribus valentes atque robusti, omnibus animi virtutibus instructi atque ornati, deniq. gloria famaq. præstantes, atq; clari. Cumq. Rempublicam Lusitaniæ vehementer diligeret; quod eius minores semper imitati sunt, filium Alfonsum; vt illam optime regeret post
D eius obitum recte imbuendū & erudiendum esse, quoad potuit, elaborauit. Vnde illū doctissimo & sapientissimo cuidam viro Lusitano tradidit in disciplinam. Recte enim intelligebat, quod, vt in semente posita est spes messis; ita totius reliquæ vitæ exspectatio ab educatione pueritiæ pendet, vbi vero infirmam illam ineuntis ætatulæ teneritatem robur adolescentiæ exceperit, quæ tandem alia res animum praeclarissimo rerum studio accendere potest; præter bello fortissime gesta; aut litterarum

E 2 tracta-

tractationem? quæ tum denique solent contingere, cum à primis, vt aiunt, vnguiculis, omnes principes dant operam, vt sint ipsi simul bellicosi & sapientes. Insuper, sapientiæ, iustitiæ, pietatis æque; atque artium bellicarum cupiditate studioque rapiantur, à pueritia elaborandum est. A

Si Themistocles olim, o fili Alfonse dicebat Comes Henricus, cum somnum capere non posset adolescens, auctores dicere solitum tradunt se Miltiadis trophæo quiescere volentem excitari? quanto acrius, eos incendi necesse est; qui quotidie non vnius, sed innumerabilium hominum virtute præstantium trophæa, non e marmore constituta, ad exigui prædicationem temporis, sed ad omnem ætatem commendata sapientissimorum litteris intuentur. Nec vero pertimescendum est, ne aut labore frangantur, qui ætatis suæ florem in bellicis rebus & litterarum studijs dedicandum esse statuerunt, tanta siquidem est oblectatio paulatim adquirenda cognitione rerum sese pascentis animi, vt qui ea fruuntur, ab ijs nec laboris tædium, nec auocantium voluptatum blanditiæ sentiantur. Itaque sapienter poetæ, cum cæteros omnes deos Veneris Imperio subdidissent, in Mineruam modo & studiorum præsides musas nihil ei iuris esse voluere. Nec antiquissimi illi poetæ aliam ob causam Palladem armatam finxere, nisi, vt significarent, in Rerumpublicarum moderatoribus bellicam virtutem cum sapientia coniunctam & copulatam esse oportere. Quam rationem secuti prisci illi heroas, in disciplinam hominum eruditorum longoq. vsu peritorum; filios suos studiose tradebant, & principes ipsi doctos viros & sapientes in comitatum amicitiamq. suam cupidissime recipere solebant. Sic fortissimum illum Græcorum Achillem Pellei Thesalorum Regis filium à Chilone Centauro puerum eruditum esse est litteris proditum, & eidem iuueni ad Troiam profecto; Phænix ait apud Homerum, se Comitem à patre idcirco esse datum, vt illum efficeret oratorem verborum actoremq. rerum. Similiter summus ille Atheniensium orator Pericles, qui annos quadraginta consilio, doctrina, eloquentia, dicitur Athenis præfuisse, priusquam ad Rempublicam accederet

A ret ab Anaxagora Clazomenio fuerat institutus, Thimoteum Cononis præstantissimi Imperatoris filium Isocrates, Epaminondam Lysis Pythagoreus, Alexandrum magnum Aristoteles erudierunt. Nec solum animi, sed etiam corporis ratio habenda est, corpus enim imbecillum animi virtutem plerumq. debilitat, & à rebus acriter & animose gerendis abducit. Vtrumq. igitur curandum est, vt & corpus sit valetudine firmum, & animus recte moribus & vita constitutus, vt enim corpus infirmum animi industriam frangit, ita bene valens atque robustum corpus animum reddit alacrem & in omni rerum

B discrimine confidentem. Præterea ingenium est diligenter disciplinis excolendum, vt sapientiam Regio muneri maxime necessariam consequatur. Hæc enim studia pudorem & modestiam ingenerant, animum cupiditate dignitatis incendunt, & ad Rempublicam salutaribus institutis temperandam erudiunt. Deinde præter hoc commune præsidium alijs etiam virtutibus fulciendi sunt principes, vt intelligant eorum statum non tam opibus & armatorum præsidijs, quam subditorum amore & fi-

C delitate stabiliendum. Nam principum opes & potentia insidias minime repellunt, & hominum præsidia charitate & fide seclusa eisdem ipsis, qui illis circumsepti sunt, erunt valde metuenda. At subditorum amor laude Regiæ clementiæ & benignitatis incenditur, & fides Regis veritate & constantia principis confirmatur. Nemo enim odio potest prosequi bonitatem, nec fidei spectatæ & cognitę vlla conditione diffidere.

In principe has virtutes eminere necesse est & eo clarius debent splendere, quanto principis status altior est, & ad plures

D eorum vtilitas cum insigni admiratione diffunditur. Insuper princeps, qui ditionē suam & Imperium clementia & fide corroborauerit; nec suorum insidias extimescet, nec hostium incursionem formidabit, cũ nihil in terris sit fide & amore valentius.

Armorum etiam robur atq; prudentiæ consilium aliud est principis præsidiũ, quorum alterũ sine alterius ope imbecillum & infirmũ est. Quid enim arma proderunt, si omnia temeritate corruerint, quam vtilitatem consilium afferet; si nullæ fuerint

vires;

vires, quæ, id quod fuerit recte excogitatum, prudenter & statim A
exsequantur. Nam iuuentutis decus, quæ in ditione principis
est; in animi magnitudine & robore consistit, & senectutis laus
canitie hoc est prudentiæ maturitate continetur. Deniq. opus
est principi, vt in armis iuuenes exerceat, & senes prudentia
graues in consilium adhibeat, nullus enim à iuuentute laudes
perfectæ sapientiæ requirit, nec à senectute vires iuuenum fla-
gitantur. Aliud etiam in iuditiorum seueritate subsidium prin-
cipis positum est, frustra enim arma comparantur ad hostiles
impetus reprimendos, frustra similiter ad consilium senes vo- B
cantur, si hostes domestici minime repelluntur; hostes autem
domestici, & intestini sontes sunt & facinorosi. Quibus si fuerit
scelerum impunitas attributa, vniuersam tuam ditionem mul-
to crudelius quam externi hostes, dissipabunt. Hi vero non sunt
leuibus sed acerrimis pænis coercendi, ne istorum improborum
contagio ad tuorum subditorum pernitiem erumpat. Nam qui
in periculosis vulneribus dolorem efficit, sæpissime sanat, qui
omni dolore sauciũ leuare conatur, interimit. Vt igitur in prin-
cipe nullo pacto crudelitas, sed clementia summa requiritur, C
ita in summis Reipublicæ periculis non dissolutio, sed seueritas
efflagitatur, & meo quidem iuditio maior seueritas in principe
excogitari non potest ea, qua scelerum impunitate vniuersa
Respublica iugulatur, quæ tandem & felix & beata erit, cum
Reges sint ipsi bellicosi simul & sapientes.

His & alijs sapientissimis documentis filium Henricus Co-
mes Lusitaniæ erudiebat & hoc opere cõprobauit, vt vtilissimus
& optimus Reipublicæ suæ princeps Alfonsus esset, vt postea
fuit, Lusitanæ enim Reipublicæ princeps optimus & pruden- D
tissimus euasit, vniuersam Lusitaniam à Maurorum seruitute
post patris mortem exemit & liberam reddidit, vniuersa sancto-
rum templa, quæ à Sarracenis penitus diruta & solo fuerant
æquata, de nouo suis proprijs sumptibus & impendijs fecit ædi-
ficari, & alia præclarissima & digna immortalitate opera edidit,
quæ nos latius, cum ad ipsius vitam accedemus, enarrabimus.
Quis enim nõ videt ex optima disciplina à pueritia sibi insita hęc

omnia

A omnia effluxisse? Hæc hac in parte de Henrico primo Lusitaniæ Comite scripsi, vt omnes, ad quorum manus hæ nostræ elucubrationes peruenerint, intelligant, à qua stirpe tot tantiq. Lusitaniæ Reges,qui sui nominis splendore,sapientia,& integritate, vniuersas totius orbis partes compleuerint, originem duxerint.

Ab hac vita migrauit Henricus Asturicæ anno à Christo nato 1112.ipsius corpus in ciuitate Bracharensi in sacello maioris Ecclesiæ Metropolitanæ requiescit, cum Lusitaniam per annos 23. maximo cum honore & eius immensa laude gubernasset.

B Nam fines sui comitatus propagauit & magnam Calletiæ partem & Asturicam ipsam ciuitatem opulentissimam ex soceri Alfonsi potestate,in bello contra ipsum inito, vi & potentia extorsit,& in suum redegit imperium,quæ omnia tandem Regibus Castellæ fuere restituta.

Post multa temporum interualla nempe de anno 1513. Iacobus Sosa Archiepiscopus Bracharæ vitæ innocẽtissimæ & inculpatissimæ,moribusq. admirãdis, insigni erga Deum pietate, vitæq. puritate & integritate laudatissimus, pietate vero memorandus, & nobilitate conspicuus Henrici ossa & Therasiæ

C eius vxoris ex humili loco eiusdem templi prope aram summi templi suis impendijs exportari iussit,& in loco nobilissimo,vbi simul cum vxore Therasia requiescit; sepeliri & condi curauit. Hæc vero breuiter de Henrico dixisse satis sit, qui plura desiderat, Annalia Lusitanorum Regum euoluat idiomate Lusitano conscripta vbi alia magis ample & distincte cognoscet. Nos

D vero ad Alfonsum eius filium primum Lusitaniæ Regem accedamus.

# REX PRIMVS LVSITANIAE A

## ALFONSVS PRIMVS.

POST Henrici Burgundi mortem Lusitaniæ Comitatum obtinuit Alfonsus eius filius ex Regina Therasia susceptus, qui natus est anno 1094. dum Henricus eius pater vixit & sub matris tutella & administratione fuit, infans Portugalliæ, more illius temporis, quo Regum filij appellabantur Infantes, dictus est. Post mortem matris, vsque ad prælium Orichiense, quo à suis Rex acclamatus fuit, Lusitaniæ Princeps dicebatur, ex quo tempore semper Rex vocatus est; Therasia vero ipsius mater Regina dicebatur more illius temporis, quo Regum filiæ, quamuis Regnum non haberent, omnes Reginæ dicebantur, qui mos vsque ad Alfonsi tempora durauit. Postea vero Infantes, vt etiam mares vocabantur, quod licebit intueri, illis, qui plurima diplomata in Lusitana lingua legerint, quorum quamplurima in cœnobio S. Crucis canonicorũ Regulariũ S. Augustini ciuitatis Conimbricensis hucusq. reseruantur. In forali lege opidi Constantini Panoiarum erat ea inscriptio. Ego Comes D. Henricus & vxor mea vna pariter Regina Therasia, erat autem subscriptio hoc modo.

Ego Comes D. Henricus & vxor mea Regina Therasia manu nostra rorora uimus Era M. C. X X X I I I.

Ego Infans Alfonsus filius Henrici Comitis & Reginæ Therasiæ auctoriso & confirmo & roboro istam cartam quam fecit pater meus & mater mea regnante domino Alfonso in Legione.

In concessione Iuris cauti, vt vulgo dicitur, opidi Alpendoradæ, quod Therasia Regina Alfonsi mater instituit anno M.C. LXI. ita erat subscriptum.

Ego Regina Therasia domini Regis Alfonsi filia concedo tibi Sarracino vanegas &c.

Supra

A Supradicta Regina Domina Therasia, quæ hanc cartam firmitudinis proprijs manibus roboraui &c.

Ego Alfonsus Infans mandaui & concessi supradicta fieri, sicut sursum resonant pro amore Christi & Ecclesiæ libertate & Sarraceno vanegas, qui me multis verbis rogauit, & hanc cartam proprijs manibus roboraui.

In donatione Eremitæ S. Romani anni M. C. L X X V I. quo tempore Therasia Regina eius mater iam ab hac vita discesserat, ita Alfonsus subscripsit, cum se principem fuisse appel-
B latum nouimus.

Ego Alfonsus Portucaliæ Princeps magni Imperatoris Alfonsi nepos, Comitis D. Henrici, & Reginæ Therasiæ filius, nulla necessitate compulsus, sed prompta atque beneuola voluntate & diuino amore commotus Ecclesiæ Sanctæ Crucis, atque Fratribus ibi commorantibus facio cautum ad illam nostram Eremitam Sancti Romani sitam iuxta Castrum Senæ &c. Era M. C. L X X V I. erat autem talis subscriptio.

Ego Alfonsus Portugalliæ Princeps.

C Quamplurima alia de hac vna re & veritate clarissime comprobata colligit & refert Eduardus Nonius à Leone in illo suo libello de Regni Lusitaniæ exordio, & in libro censurarum contra libellum Iosephi Teixeiræ.

Alfonsus Lusitaniæ Rex duxit in vxorem Malfadam filiam Amædei secundi Comitis Maurianæ, & Guigonis eius matris, quæ filia fuit Comitis Albonensis. Hic Amædeus ille exstitit, qui reuersus ex Syria, quo bis contenderat causa sacri
D belli; in Insula tandem Cypri e viuorum contubernio emigrauit. Cuius corpus in monasterio Sanctæ Crucis propre vrbem Nicosiam requiescit. Hic Amædeus ab Henrico Quinto Imperatore primus Subaudiæ Comes, & Sacri Imperij Vicarius per vniuersam Italiam creatus fuit, & pro Rhodiensium equitũ defensione inauditam ex immanissimo atque teterrimo Christiani nominis hoste Turcarum Imperatore victoriam retulit. Et si vlla post hominum memoriam parta victoria est, in qua admirabilis se diuini nominis potentia ostendit, & quid Amædei

viri fortissimi virtus valebat; cognitum aut declaratum fuit. A
Ita in hac victoria omnia patefacta, vt numquam maioribus, nec illustrioribus argumentis, aut illustrata esse; aut in posterum illustrari posse viderentur. Sed nos de hac victoria, cum ad rem non spectet; & alij auctores de illa quamplurima litteris commendarunt, hoc in loco dicere quamplurima omittimus, & ad Malfadam reuertamur.

Longe enim lateq. à veritate dissident omnes illi, qui arbitrantur Malfadam Manriquez de Lara, quam diximus Alfonsum duxisse in vxorem, fuisse filiam Comitis de Lara & Princi- B
pis de Molina. Nam veritas, vt existimo, est fuisse filiam Amædei secundi Comitis Maurianæ, & per ea tempora principis nominis celebratissimi, atque Henrici Imperatoris beneficio fuit Arelatensium proRex, & per vniuersam Italiam Princeps & Vicarius sacri Romani Imperij, copulatis ditioni, Comitatus Subaudiæ, Maurianensi, Tarantasiensi, Belgiensi, Augustæ, Clabasij, Sedunensi, & Transalpina Secutia. Hic Amædeus, qui pater fuit Malfadæ, quæ Allobrox fuit & vxor Alfonsi
primi Lusitaniæ Regis, ex vxore Guigone secundum Paradi- C
num, aut secundum Philiberti Pingonij sententiam ex Mahalda filia Comitis Albonensis filium habuit Humbertum huius nominis III. Subaudiæ Comitem, præterea etiam ex eadē Mahalda alium filiū nomine Ioannem Valetudinarium habuit, qui in cœnobio Sancti Antonij vixit, & in eodem loco e viuis excessit, insuper filium alium nomine Petrum illi peperit Mahalda, qui vitam monachorum egit, & habuit etiam aliam filiā
nomine Adelaim, quæ Andreæ Comiti Angletiæ & Principi D
Mediolanensi Othonis Cæsaris filio nupsit. Habuit etiam Alasiam, quam Humbertus Bellijcoci Princeps duxit vxorem. Denique suscepit Malfadam, quæ matrimonium contraxit cum Alfonso primo Lusitaniæ Rege, de quo in hac vita nunc verba facimus, qui, vt statim videbimus, à suis primus Lusitaniæ Rex conclamatus & salutatus fuit. Erat enim Alfonsus sanguinis necessitudine Malfadæ coniūctus. Hanc eamdem, quam hoc in loco amplector sententiam, tenet & amplectitur Eduar-

dus

A dus Nonius à Leone Iuriſconſultus Luſitanus, vir non mediocris ingenij & in hiſtorijs Luſitaniæ alijſq; non mediocriter verſatus, quam etiam multi alij amplectuntur. Nos vero ad Alfonſum veniamus.

Alfonſus primus Luſitaniæ Rex habuit ex vxore Malfada, quæ Allobrox fuit, Sanctium primo genitum, qui Alfonſi patris hæres in Regno Luſitaniæ fuit.

Habuit etiam Alfonſus ex vxore Malfada Orracam Fernandi ſecundi Legionis & Calleciæ Règis coniugem, poſtea vero B ſummi Pontificis decreto ab inuicem diſiuncti & ſeparati fuere, erant enim ratione ſanguinis coniunctiſſimi. Nam per ea tempora iam natus erat filius Alfonſus, qui patri in Regno Legionis & Calleciæ ſucceſſit, & pater fuit Fernandi Tertij, qui Sanctus reputatus fuit. Atque ex Sarracenorum poteſtate Cordubæ & Hiſpalis ciuitates vi extortas ſub ſuum redegit Imperium.

Habuit etiã Alfonſus Theraſiam, quæ nupſit Philippo primo Galliæ Belgicæ Comiti, quæ cum apud Belgas degeret, nomen C Malthildis Theraſiæ loco accepit. Et apud eoſdem Belgas magnum ſibi nomen & honorem comparauit. Belgas enim, dum coniux aberat, Syriaci belli cauſa, optime & prudentiſſime gubernauit, vt à patre ipſius Alfonſo viro maximo nequaquam videretur degenerare. Philippus vero Theraſiæ ſeu Malthildis coniux, dum ciuitatem Ptolæmaidem apud Syrios in Aſia cingeret Vallo & Foſſa; eoſq. magna premeret obſidione, morbo peſtifero à vita diſceſſit. Theraſia autem eius vxor propre Furnas anno 1228. fortuito caſu morte intercepta fuit. Nam dum D ipſa Theraſia faceret iter per viam paludibus & aquarum multitudine plenam; lapſo eſſedo deprimitur, quo ex caſu locum illum Reginæ foramen hodie appellari conſueuit.

Tempore, quo Theraſia ab hac vita diſceſſit, Fernandus ipſius ex fratre Sanctio nepos Belgiæ Comitatum obtinebat, quem optimis legibus poſtea rexit & gubernauit, incredibili gaudio & omnium Belgarum lætitia inaudita, vt talem atque tantum decebat virum.

F 2 Alfon-

Alfonsus Lusitanię primus Rex habuit etiã alios filios illegi- A
timos nempe Petrum Alfonsum à Portugallia. Orracham Alfonsam, quam duxit vxorem Sanctius Nonius, & illi peperit filiam, quam Orracham appellauit, & Consaluus Sosa nobili genere natus & inter Lusitanos nobilissimus illam duxit vxorẽ.

Postquam Alfonso Regi per ætatem licuit, bella præclarissima gessit, vrbes quamplurimas expugnauit, Sarracenorum potentiam, qui Lusitaniam oppresserant, penitus fregit. His autem rebus commotus Ismarius Africæ magnæ partis, Bethicæq. Rex, alijs ad se quatuor Regibus conuocatis, tam ex B
Africa, quam ex vlteriore Hispania tantas contraxit copias, vt millia quadringenta Ismarij exercitus superaret. His confisus Ismarius in Alfonsum properabat lentis quidem itineribus, sed ad vindictam animo concitatissimo. Nec Ismario Alfonsus segniter processit obuiam. Nam in agro Orichiensi paulo infra castrum viride opidum non procul à confluente Cobris & Tergis fluuiorum in conspectum mutuum venientes castra posuere. Cumq. Alfonsus Rex tumulum, vbi vetus erat sacellum C
insedisset, & Ismarij copias propre infinitas, vndiq. campum vniuersum complentes & nostrorum agmina circumclusa magna spe deuorantes, aspexisset, pauere cepit, vt ipse in suo testimonio, quod infra apponetur ingenue confitetur. Militibus enim nostris sanum non videbatur consilium manus cum tanta hostium multitudine conferere; quilibet enim illorum supra centum hostes aduersus se in prælio erat habiturus. Militum tamen animos princeps confirmauit, dimissosq. Sacrosanctam Eucharistiam omnes suscipere iubet, & crastinum diem, qui D
Iacobo Apostolo Hispaniarum patrono sacer erat, lætos exspectare. Cumque aduesperasceret senex quidam, qui in eodem sacello, in cuius tumulo insederat Alfonsus, cum hostes conspexit, Eremiticam vitam agebat, & inter Mauros ob ætatem prouectam, paupertatem & vitæ sanctitatem, nullius iniuria lacessitus, ad Alfonsum venit, atq; forti esse animo adhortatur. Vt qua noctis hora tintinnabuli, quod in sacello erat, sonum audiret, tentorium egrederetur, apparitur um illi Christum in aere

A Cruci subfixum. Lætus tam optato tamque insperato nuntio Alfonsus, totius noctis peruigilio promissum expectabat. Primo ergo ante lucem diluculo ad tintinnabuli sonum prętorium egressus suspexit in aere crucifixum dominum; cuius visi voluptate propemodum extra mentem absorptus; ita adorans dicebat. Equid Saluator totius vniuersi? Tu ne mihi? Tu ne mihi appares? Quid enim hoc opus est in te credenti; & te summa pietate colenti? perfidis istis tuis atque ideo meis hostibus, tuæ B diuinitatis ignaris potius apparere digneris, vt Crucis tuæ misterium intelligant atque desinant insanire.

Hæc & alia his similia, quæ ipsę in eiusdem testimonio latius declarat, cum ex mentis quasi abstractione persequeretur. Christi colloquentis & victoriam pollicentis voce iucundissime affectus, in cælum domino recepto, arma postulat; armari milites, acies in ordinem reduci, & canoro tubarum concentu imperat signum dari. Alfonsum ergo quidam ex proceribus totius exercitus nomine adeuntes postulant; eum ita alloquen- C tes, fortissime Imperator, milites tui desiderant, vt te Regem salutari permittas. Quibus ille; Ego, fidissimi Commilitones, honorificum satis inter vos nomen titulumq. principis sortitus sum, alium non appeto. Nec si maxime expeterem, vel poscentibus vobis morem gerere vellem, id tempus aut locus patiuntur, sed operam dabo, vt vos ducis vestri non pæniteat. Vos in hoc incumbite & id curate; vt milites dux non desiderem. Contra illi, quæ postulas, pollicemur & nobis non deerimus, sed pro Rege pugnabimus ardentius, vincemus honestius; moriemur D alacrius. Cum igitur propre vim intulissent, recusanti magnis vocibus & tubarum, lituorum, tympanorumq. sonitu, ter acclamatum. Alfonso Henrico primo Lusitaniæ Regi vita & victoria, data inde militibus tessera ferebatur in hostes.

Ex alia tamen parte innumerabilis ille Barbarorum exercitus tam dissonis clamoribus tam horribili fragore perstrepebat, vt cælum ruere, terra concuti, & quassari tremoribus videretur; commissum est prælium sanguinolentum, pertinax, durum, & diuturnum; à prima diei hora vsque ad meridiem; do-

nec

nec Ismarius, cuius iam vita periclitabatur, & quam nostri vehementer appetebant, rebus suis desperatis & amisso in conflictu consobrino, cui sui corporis custodiam demandauerat, nomine Homar Atagor Regis Hali ex fratre nepote fugit ipse, & vna Reges, qui cum eo erant. Tantum autem sanguinis effusum est, vt ex loco certaminis riuuli in Cobrin atque Tergen decurrerent. Quin insecuta paucos post dies pluuia cum tinctam atro sanguine superficiem lauisset, creuissentq. riui, Terges, qui ad confluentes Cobrin recipit, etiam vsque ad Anam aquas sanguine infectas pertulit: quod Iacobus Mænetius Vasconcellius in Himno Vincentij Martyris his carminibus adnotauit, A B

*. . . . . vbi paupere Terges*
*Flumine ab Orichio segnis delabitur agro,*
*Excepti cecidere duces, fusæq; cohortes*
*Barbaricæ, ac tellus tanto est imbuta cruore.*
*Vt postquam pluuiæ cædem elauere, pigerq;*
*Riuus iji contage sua, quacumq. meabat,*
*Polluerit spatium late; fluctusq; petitos*
*Funestaris Anæ torrens inglorius ante.* C
*Atque vaporatis æstu Quintilibus impar.*
*Post illa, indigenis factus de clade superbi,*
*Nobilis Ismarij.*

Alfonsus igitur nouus Rex consueto victoribus more in castris triduo permansit & concessa militibus præda, ipse, qui eactenus niueo scuto vtebatur; Insignia fieri iussit, quæ rem ibi gestam designarent. Atque primum, quia Christum in aere Cruci subfixum conspexerit, in argenteo scuto cæruleam Crucem formauit. Deinde quod quinque Reges vicisset, scuta quinque per ipsam crucem distinxit in vnoquoque triginta nummos argenteos formauit & figurauit, quod Saluator mundi totidem venundatus fuisset. D

Postea à posteris mutata fuit nummorum ratio commodiore ratione & in singulis quibusq; scutis singuli quinq; nũmi positi decussatim ad figuram litteræ, x, bis numerato, quod in medio est, & cum a summo deorsum, & cum à latere ad latus fit

suppu-

A supputatio, vt numerus triginta expleatur. Hæc tunc sumpta ibi insignia fuere, Castella vero aurea septem, quæ in rubro campo scuti Regij oras ambiunt, tempore Alfonsi III. adiecta sunt pro insigni Regni Algarbiorum, vt infra late dicemus.

Nec mirum videri debeat, si Christus Opt. Max. pro Ecclesia sua & pro populo suo hæc & alia multo maiora & olim effecit & quotidie facit. Quid enim aliud significat illa conclamatio gladius Dei & Gedeonis, & illud rursum factus est super Iephte spiritus domini & eiusmodi innumerabilia? nisi non absque B Christi numine, quod illis fortissimis hominibus præsens aderat, tanta bella suscipi atque profligari potuisse? Quid deinde illud de cælo dimicatum est contra eos, & stellæ manentes in ordine suo & in cursu suo aduersus Sysaram pugnauerunt, nisi cælestes exercitus Christo Imperatori; quem dominum exercituum sacræ litteræ appellant, commissos, pro pijs contra nefarios & impios pugnam capessere? Non est igitur, cur hæc exempla virtutis à sanctissimis illis hominibus ad sempiternam temporis memoriam relicta negligamus; quæ omnia quæ de Al- C fonso diximus, facilime comprobant. Nos autem alia exempla adducemus, quibus clare quilibet poterit dignoscere vera esse, quæ maiores nostri de primo Rege Lusitaniæ Alfonso primo nobis tradidere.

Vt enim vetustiora prætermittam, Constantinus Imperator non tam numero militum, aut robore exercitus, aut bellandi scientia, quam Christi præsidio Maxentium superauit, quem ita D prima impressione metu perterruit, vt in fugam turpissimam versum ad exitiumq. præcipitem Tiberis alueo demergi compelleret. Illum autem eximium terrorem hostium animis ipsius Christi numen iniecerat. Cum enim Constantinus iam de Christiana Religione præclare sensisset, vidit eo ferme tempore, quo erat cum hoste congressurus æthere puro atque sereno crucis speciem diuino splendore coruscantem, vocemq. è cælo missam accepit, quæ illi victoriam denuntiabat, si modo crucem tamquam summi atque æterni Dei vexillum sequeretur. Inde igitur omnibus regijs insignibus crucis signum ante posuit,

suit,

ſuit, in illo enim omnem ſpẽ non modo victoriæ ſed immortalitatis & æternæ gloriæ collocauit, illo inſignitus innumerabiles hoſtium exercitus fudit, Imperiumq. Romanum latiſſime propagauit. A

Quid referam de Carolo Martello? ſine præſentis Chriſti auxilio ſuſpicari poſſumus ab exiguis initijs ad tantam gloriæ magnitudinem perueniſſe. præſertim cum eas res geſſerit, quæ viribus humanis perfici nullo modo potuiſſent. Incredibile fortaſſe multis videbitur, quod eſt memoriæ traditum, fuiſſe vno prælio ad trecenta ſeptuaginta millia Arabum virtute & auſpitijs Martelli occiſſa, eo præſertim tempore, quo gens illa plurimum armis poterat; & cunctæ Africæ atque Hiſpaniæ exitium & vaſtitatem intulerat. Mihi vero nihil dignum admiratione videtur. Nihil eſt enim tam arduum atque munitum, quod non excellens virtus, Religionis ſtudio confirmata expugnet & conterat. Quid de Theodoſio Imperatore hoc in loco commemorem? qui cũ Eugenio ita conflixit, vt facilime ſe Chriſti præſentis auxilio ſuperiorem eſſe cerneret; fuit autem in hoc Imperator ille mirabilis; qui, quo tempore reliqui corpora ſomno & cibo reficiunt; is cibi abſtinentia & votis ſumma Religione ſuſceptis animum confirmabat; cuius quidem pietatis atque Religionis fructum eximium tulit. Nam vbi primum ſignis collatis manum cum hoſte conſeruit excitati repente turbines vehementiſſimi aduerſas copias hoſtium peruerterunt & tela ab illis in Theodoſij exercitum coniecta, maximo impetu repulerunt. Illius autem inſignis victoriæ meminit Claudianus cum ita ad Theodoſium ſcribit. B C D

*Claudianus de conſulatu Theodoſij.*

*O nimium dilectæ Deo, cui fundit ab antris,*
*AEolus armatas hiemes, cui militat æther,*
*Et coniurati veniunt ad claſſica venti.*

Simili Religionis ſtudio incenſus Carolus Magnus omnia grauiſſima bella contra Chriſtiani nominis hoſtes ſuſcepit, nec vllum vnquam periculum Chriſtianę Reipublicę denegauit. Non immerito igitur illius virtutes, quibus tamquam gradibus in cælum adſcendit, omni genere monumentorum immortalitati con-

A consecratæ sunt. Pari Religionis ardote, multis post ætatibus multi Principes Itali, atque Galli, Duce Gothifredo viro singulari, virtute animi, & egregia voluntate præstantissimo, & inaudita pietate florentissimo, expulsis Turcis atque Saracenis, Ciliciam & Syriam omnemque illam Asiæ partem armis receperunt, & Hierosolymam, cuius liberandæ studio, omnia quæ sunt in vita cara atque periucunda, reliquerant, immensosque labores susceperant, ingenti armorum contentione recuperarunt. In quibus hominibus nescio quid primum admirer, eximiam ne virtutem, an insignem potius pietatem? Virtutis enim

B magnitudo tanta fuit, vt omnem barbariem, quæ tantum numero atque robore valebat, vt etiam de vniuerso nomine Christiano ex hominum memoria delendo cogitaret, ita repulerint, vt longe à Syriæ finibus summouerent; singularis pietas in eo perspecta est, quod nec vlla necessitate coacti, nec iniuria lacessiti bellum cunctis hostibus Christiani nominis intulerunt, vt Christi monumenta atque vestigia, terris ad insignem diuini beneficij memoriã impressa, venerari, maculamq; illam

C sanctissimi Sepulchri a Barbaris oppressi, quæ in Christiana gente insederat, delere possent. Quid autem nunc de rebus ab Hispanis ardentissimo animo atque singulari pietate gestis sermonem instituam? Quæ quidem eiusmodi fuerunt, vt nemo sanus suspicari valeat, eas sine Christi præsentis auxilio, cuius amore Hispanorum natio libentissime sese in vitæ discrimen inferebat; perfici potuisse. Cum enim tota Arabia, & Africa influens in Europam Hispanos armis oppressisset, & cæde atque

D infinita clade & crudelitate consumpsisset; paucissimi ex illo naufragio collecti, tanta virtute hostium impetum represserunt; vt magnam etiam Hispaniæ partem in libertatem vindicarent. Posteri deinde maiorum exempla ita secuti sunt, vt cum pauci admodum essent, Africa vero ingentem vim hominum sæpe numero effunderet, quæ Saracenis Hispaniam incolentibus subsidio occurrebat, non modo tantæ multitudinis incursiones atque furentes impetus sustinerent, verum etiam omnem Barbariem ex Hispania tandem exterminarent: cuius facinoris

G admi-

admirandi, & pæne incredibiliter confecti laus incredibilis A
pænes Fernandum Regem atauum Philippi II. Regis nostri Catholici, qui hodie regnat, constitit virum inuictissimum, & in omni genere laudis excellentem. Si quærat autem aliquis causam, cur ea gens, quæ florentem & integram Hispaniam oppresserat; ab eiusdem Hispaniæ reliquijs fuerit expulsa atque profligata, non aliam reperiet; quam Religionis studium, quod quidem antea erat pæne extinctum, & post illam plagam nostris gentibus inflictam fuit mirabiliter excitatum atque renouatum. Illo igitur incredibili ardore pietatis incitati; cum omnia B
præclara facinora pro Christi nomine suscepissent, res illas immortalitate dignissimas effecerunt, quibus immortalem gloriam compararũt. Nulli ergo dubium esse poterit verissima esse ea omnia; quæ de Alfonso primo Lusitaniæ Rege diximus, cum Christus pro Ecclesia sua Catholica, vt antea dixi, & fecit maxima, & quotidie ẽt videmus fieri. Testimonium ipsius Regis Alfonsi in Lusitania fertur reseruari in Cænobio Alcobacensi fratrum Ordinis Sancti Bernardi. Illius copiam hic inscribendam C
duximus, quæ mihi tradita fuit hic Romæ à Domino Consaluo Mænetio Vasconcellio viro nobili & in iure Cæsareo cæterisque scientijs versatissimo; dum in hac vrbe apud Sanctissimum D. N. Clementem VIII. & re & nomine Pontificem Opt. Maximum pro Maiestate Regis nostri Catholici Philippi omnia negotia ad Regnum Lusitaniæ spectantia ageret, & res est apud Lusitanos notissima; quod ego à maioribus natu sæpissime audiui, verba autem ipsius Alfonsi, quæ (vt dixi in Cænobio Alcobacensi originalia reseruantur) hæc sunt. D

Ego Alfonsus Portugalliæ Rex filius illustris Comitis Henrici nepos magni Regis Aldefonsi coram vobis bonis viris Episcopo Bracharensi, Episcopo Conimbricensi, & Theotonio reliquisq; magnatibus & officialibus vassallis Regni mei in hac Cruce Aenea, & in hoc libro Sanctissimorum Euangeliorum iuro cum tactu manuum mearum, quod ego miser peccator vidi hisce osculis indignis Deum Dominum nostrũ Iesum Christum in Cruce existentem in hac forma de verbo ad verbum.

Ego

A Ego eram cum mea hoste in terris vltra Tagum in Agro Auriquio; vt pugnarem cum Hismaele, & alijs quinque Regibus Maurorum habentibus secum infinita hominum millia, & gens mea timorata propter multitudinem erat fatigata & multum tristis in tantum, vt multi dicerent esse temeritatem inire bellum, & mæstus de eo, quod audiebam; cepi mecum cogitare; quid agerem, & habebam vnum librum in meo pampilione, in quo erat scriptum Testamentum antiquum, & Testamentum Iesu Christi, & aperui illum, & legi victoriam Gedeonis, & dixi intra me. Tu scis domine Iesu Christe, quia pro tuo amore suscepi bellum istud contra tuos inimicos, & in tua manu est dare mihi, & meis fortitudinem, vt vincamus illos blasphemantes tuum nomen & sic dicens dormiui supra librum & videbam vnum senem ad me venientem dicentemq; Alfonse confide, vinces enim debellabisq; Reges istos contere sq; potentiam illorum & Dominus ostendet se tibi. Dum hæc video, accedit Ioannes Fernandus de Sousa vassallus de meo cubiculo,

C dixitq; surge domine mi, adest homo senex, vultque te alloqui. Ingrediatur dixi, si fidelis est, & ingressus ad me noui esse illum; quem in visione videram, qui dixit mihi, Domine esto bono animo; vinces vinces & non vinceris, dilectus es Domino, posuit enim super te, & super semen tuum post te oculos misericordiæ suæ, ipse respiciet, & videbit, ipse me iubet indicare tibi, quod dum audieris sequenti nocte tintinnabulum Heremitorij mei, in quo vixi sexaginta sex annos inter infideles seruatus fauore Altissimi egrediaris extra castra sine arbitris ostendere se

D tibi pietatem suam multam, parui & reuerenter in terram positus, & nuntium & mittentem veneratus sum; & dum in oratione positus sonitū expectarem. Secunda noctis vigilia tintinnabulum audiui, & ense & scuto armatus egressus sum extra Castra, vidiq; subito à parte dextra Orientem versus micantem radium & paulatim splendor crescebat in maius, & dum oculos ad illam partem efficaciter pono, ecce in ipso radio clariori Sole signum Crucis suspicio, & Iesum Christum in eo crucifixum, & ex vna & altera parte multitudinem iuuenum candidissimo-

rum,quos sanctos Angelos esse credo, quam visionem,dum vi- A
deo, deposito ense & scuto & relictis vestibus & calceamentis;
pronus in terram me proijcio lachrimisq; abunde missis cepi
rogare pro confortatione meorum vassallorum; dixique nihil
turbatus. Quid tu ad me domine? credenti enim fidem vis au-
gere? melius est, vt te videant isti infideles, & credant, quam
ego, qui è fonte baptismatis te Deum verum Filium Virginis,
& Patris æterni agnoui, & agnosco Erat autem Crux miræ
magnitudinis, & eleuata à terra quasi decem cubitos. Domi-
nus voce, quam indignæ aures meæ susceperunt, dixit mihi. B
Non, vt fidem tuam augerem, hoc modo apparui tibi, sed vt
roborarem cor tuum in hoc conflictu, & initia Regni tui supra
firmam petram stabilirem. confide Alfonse, non solum enim
hoc certamen vinces sed omnia alia, in quibus contra inimi-
cos Crucis pugnaueris, gentem tuam inuenies alacrem ad bel-
lum & fortem; petentem, vt sub Regio nomine in hac pugna
egrediaris. Nec dubites, sed quidquid petierint libere conce-
de, ego enim ædificator & dissipator Imperiorum, & Regnorũ
sum. Volo enim in te & in semine tuo Imperium mihi stabilire, C
vt deferatur nomen meum in exteras gentes, & vt agnoscant
Successores tui datorem Regni. Insigne tuum, ex pretio quo
ego humanum genus emi, & ex eo, quo ego à Iudæis emptus
sum,compones, & erit mihi Regnum sanctificatum,fide purum,
& pietate dilectum. Ego,vt hæc audiui,humi prostratus adora-
ui dicens, quibus meritis domine tantam mihi annuntias pie-
tatem? Quidquid iubes faciam, & tu in mea prole, quam pro-
mittis,oculos benignos pone, gentemq; Portugallensem sal- D
uam custodi, & si contra eos aliquid paraueris malum, verte
istud in me potius, & in successores meos, & populum, quem
tamquam vnicum filium diligo; absolue. Annuens dominus,
inquit, non recedet ab eis, nec à te vnquam misericordia mea,
per illos enim paraui messem multam, & elegi eos in messores
meos in terris longinquis. Hæc dicens disparuit, & ego fiducia
plenus & dulcedine redij in castra, & quod taliter fuerit iuro
Ego Alfonsus Rex per sanctissima Iesu Christi Euangelia hisce

mani-

A manibus tacta. Idcirco præcipio successoribus meis in perpetuum futuris, vt scuta quinque in Crucem partita propter Crucem, & quinque vulnera Iesu Christi in insigni ferant; & in vno quoque triginta argenteos, & supra serpentem Mosis ob Christi figuram, & hoc sit memoriale nostrum in generatione nostra; & si quis aliud attentauerit a domino sit maledictus, & cum Iuda proditore in inferno maceratus, facta Conimbricæ 3. Calendas Nouembris anni M. D. LII.

Ego Alfonsus Rex Portugallensis.

B P. Colimbriensis Episcopus.

S. Bracharensis Metropolitanus.

Theotonius Prior.

Consaluus Sousa Procurator Vimariensis.

Pelagius Mendez procurator Bracharensis.

Sanctij Martini Procurator Colimbrien.

Petrus Pelai Curiæ Signifer.

Fernandi Petri Curiæ Dapifer.

Velascus Sanctij.

C Alfonsus Menen. Præfectus Olisipponensis.

Menend. Petri pro magno Alberto Regis Cancellario.

Sello do Archebispo de Braga, Sello Real.

Sello do Bisbo de Coimbra.

Dous Sellos mores de dous grandes.

Hoc Regis Alfonsi testimoniũ reseruatur in præfato Cænobio Alcobacensi, & nihil addidi, aut detraxi ex copia, quæ hic Romæ mihi mutuata fuit à præfato domino Consaluo Mænetio
D Vasconcellio, & Cabedo, quæ copia ex Lusitania sibi, dum Romæ esset, transmissa fuit.

Postea tempore Alfonsi III. vt in eius vita dicemus, insignia castellorũ septem adiecta sunt circum periphæriam areę, & clipeũ purpureũ addidit castellis aureis conspersum pro simbolo Regni Algarbiorum. Postea vero Emanuel Rex in suũ stemma sphæram assumpsit, quod ad sequentes Reges percrebuit, vt specimen Imperij, quod per vniuersas Orientis partes propagauerat, symbolum denotaret.

Impi-

Impiger vir extitit Alfonsus, rei militaris scientiæ peritissimus, vniuersam Lusitaniam sartam tectam (vt aiunt) à Maurorum iugo & seruitute vendicauit, anno autem 1147. maximis auxiliaribus copijs & suis etiam Lusitanis fretus Alfonsus opulentissimam, & munitissimam ciuitatem Olisipponensem ex Saracenorum Tyrannide liberauit. Collipum vulgo Leiria, Eburobritium vulgo Euora de Alcobaca, Scallabim seu Iulium præsidium, vulgo Santarem, Tybuccium, vulgo Abrantes, Sintriã, Maforam, Turres nouas, Cetobricam, Cezimbram, nouam cuitatem Aruceitanam, Serpam, Pacem, Iuliam, Myrtilim Iuliam, Metobricam, Lacobricam, Portum Hannibalis, Balsam, Aritium Prætorium, Amæam, Talabricam, Calanticam, & omnem denique Lusitaniam, quanta nunc est, ex Saracenis bello acerrimo vique maxima eripuit; Christianisq; restituit, & sartam tectam, vt aiunt, vniuersam Portugalliam suis reddidit, tantæ enim corporis vires Alfonsum comitabantur; vt in pugna; in qua semper primus erat, cum tamquam furibundum Leonem hostes reformidarent, tanta autem corporis fortitudine præditus fuit, vt nullum leue vulnus dicatur inflixisse. Etsi maximus esset bellator Alfonsus, cum domi esset, & Conimbricæ moraretur, quæ ciuitas Regia erat illis temporibus, & ibi habitarunt multi Lusitan. Reges, cũ Monachis Cænobij S. Crucis hymnos, & sacra carmina decantabat. Tanta etiam virtute excelluit, vt illi fuerit peculiare sæpissime imperfecta, & non dum inchoata pro perfectis (quasi in se situm esset) prædicere, quod veteres auctores Scipioni Africano peculiare fuisse tradidere, cum Scalabim seu Iulium præsidium ex Saracenorum iugo furto seu ex insidijs capere vellet, suorum non magno numero comitatus Conimbrica egressus est, & pridie quam appropinquaret Iulio præsidio se sequenti die intra eius mænia pedem fixurum, atque illud sub suam potestatem redacturum suis prædixit. Vnde Iulium præsidiũ natura loci inexpugnabile, & arte munitissimum nulla Saracenorum proditione vi subegit, & nostris Lusitanis reddidit; hac enim fiducia nihil præclarius, aut admirabilius dici excogitari ue potest. Hæc autem

omnia

A omnia sibi à Deo propter eius maximã pietatem concedebantur. Nam in Deum pijssimus extitit Alfonsus, cum maximam earum rerum partem; quæ iure belli sibi comparabat, Religiosis viris, & Cænobijs, quorum multa de nouo ædificauit, diuideret, velut Deo & non sibi militaret, impetus autem hostium, ita retardabat & comminuebat: vt Deus pro eo videretur dimicare. Eo loci, quo iuxta Olisipponensem ciuitatem castra posuerat, cum illam obsideret, amplissimam & ditissimam Ecclesiam sub inuocatione Sancti Vincentij Martyris cum ornatissimo & splendidissimo Cænobio Fratrum Ordinis Sancti Augustini, qui Canonici Regulares vulgo appellantur, suis sumptibus ab imis fundamentis ædificari curauit,& ad finem vsque perduxit; & ciuitatem ipsam Olisipponensem sub eius tutelari præsidio cõmuniuit & vouit. Simile aliud Cænobium Conimbricæ in laudem sanctissimæ Crucis construi mandauit. Voto enim vouerat seque arctissime obligauerat & astrinxerat Alfonsus, si reportata victoria immanes hostes superasset,tale Cænobium ad laudem omnipotentis Dei, quanto citius per eum fieri posset,ædificaturum, quod à primis fundamentis erexit, & perfecit, & magna cum ipsius Alfonsi laude & gloria opere cõpleuit. Aliud etiam monasterium Eburobritij vulgo Alcobaca in laudem & honorem Sancti Bernardi Abbatis ædificari mandauit, quod maximis & innumerabilibus cẽsibus locupletauit; percrebuerat per vniuersas totius orbis partes & peruaserat tãti viri sanctitas,miraculorum gloria,probitatis magnitudine,vitæ integritate & innocentia, qua re cõmotus Alfonsus sanctissimo viro in Burgiacænobiũ ædificari iussit, in qua ipse natus fuerat, hæc vero & alia plurima mõasteria ædificari in Lusitan.curauit.

Inter alias fortissimas vrbes, quæ regnante hoc Alfonso Henrico ptimo Lusitaniæ Rege (quo iustior alter nec pietate fuit, nec bello aut armis maior,) ex impijssimorum Maurorum potestate iugoq; liberatæ sunt; fuit Ebora; quam sub potestatem suam redegit Alfonsus opera & virtute fortissimi viri Giraldi, cui propter corporis & animi robur, intrepidi seu absque timore cognomentũ Lusitani indiderũt. Cuius effigiem armatam

tam stricto gladio caput Arabis præferentem, & manu sinistra A
etiam caput puellæ Mauræ gestantem pro insigni gentilitio suæ nobilitatis habent Eborenses. De laudibus, bellica virtute & singulari stratagemate Giraldi, quo Eboram ex insidijs aggressus fuit, atque de illa præclarissimam victoriam reportauit, si quis hoc in loco cupiat encomium scribere, satis amplam vberemq; materiam dicendi illi tam illustre facinus suppeditabit, sed hæc non attinent ad nostrum institutum. Postquam sub Christianorum potestatem Ebora redacta est, dignitatem Episcopalem iterum accepit & Pontifex illius ciuitatis creatus fuit Pelagius præstantissimus vir, suffragante sibi B
ipso Rege Alfonso, qui Templum maximum, quod hodie extat extrui ornariq; curauit, & quamplurima decreuit spectantia ad celebritatem sacrorum sapienter, & diuisionem prouentuum, quod ex monumentis antiquis, quæ in publicis eiusdem Ecclesiæ scrinijs reseruantur, apparet. Pelagius ergo vitam cum morte commutauit, cui Seuerus, qui antea in eadem Ecclesia Decani dignitatem obtinuerat, successit, & sic alij ordine quodam successiuo suffecti sunt. vsque ad Henricum C
Cardinalem, qui in Regno Lusitaniæ Sebastiano demortuo successit, & primus Archiepiscopus Eborensis creatus fuit à Paulo III. Pont. Opt. Max. regnante Ioanne Rege huius nominis III. eius fratre, anno salutis 1541. Nec hoc in loco prætereundum esse mihi persuadeo, qua cura & liberalitate superiores Eboræ Antistites in ædificandis & extruendis dedicandisq; in eadem vrbe Cænobijs semper claruerint. Inter alios quamplurimos fuit inprimis Vascus Episcopus doctissimus, qui D
monasterium Sanctæ Claræ intra nouum ciuitatis ambitum ædificauit; alterum vero Ordinis Sancti Hieronymi, sub inuocatione Sanctissimæ Virginis à Rubo nuncupatæ, in loco amænissimo duobus passuum millibus à mænibus ipsius ciuitatis distans erexit, atque vtrumq; magnis redditibus locupletauit. Henricus etiam Card. vt superiorum Antistitum vestigijs insisteret, amplissimum Societatis Iesu Collegium, vna cum magnificentissimo Templo extruxit, atque Academiam, in qua

A omnes, præter ius ciuile & medicinam, scientiæ instituuntur, de nouo erexit. Vnde non solum Eboræ, sed etiam alijs vicinis opidis, & vniuersæ Lusitaniæ ingens vtilitas ornamentumq; accessit. Henricus etiam, dum Antistes Eborensis esset, Cænobium Sancti Antonij fratribus instituti Sancti Francisci, qui ob arctiorem viuendi normam & institutum à pietate appellantur; ædificari à fundamentis curauit. Cum aliud Cænobium eiusdem Ordinis sex millibus passuum ab eadem vrbe distans prope opidum vallis viridis antea suis propijs sumptibus ædifi-
B cauisset. Fuit etiam incredibilis Henrici Antistitis erga Eborenses benignitas in ædificando ab imis fundamentis nobile Sancti Antonij Archimandritæ templum, quod in publico ciuitatis foro loco conspicuo & illustrissimo eleganti magnificaq; operis structura; ex communibus Cathredalis Ecclesiæ prouentibus, exstrui curauit. In cuius frontispicio ab Andrea Resendio literis magnis præsens inserta inscriptio conspicitur.

Diuo Antonio Aegiptio sanctissimo Monachorum Archi-
C mandritæ sacrum. Henricus Emanuelis Lusitaniæ Regis pij, felicis, inuicti, filius, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis primus Eborensis Archiepiscopus, priore diruto, nouum hoc, structura, forma augustiore Religionis ergo erexit.

SANCTISSIMO ANTONIO ARCHIMANDRITAE SACRVM.

Cumq; Henricus de anno 1578. Archiepiscopatus curam
D vltro à se abdicaret, cum se senem videret, & tanto oneri fere succumberet, talem curam Theotonio eius nepoti, & Brachantiæ ducis fratri demandauit, qui toto eo tempore, quo Eborensem Ecclesiam sibi commissam gubernauit, & ad hoc vsque tempus optimo regimine moderatur, præclarissima immortalitateq; dignissima opera edidit. Ex multis aliqua enarrabo, vt tanti præsulis virtus per omnes orbis partes euagetur. Cænobium Sancti Antonij, quod Henricus ab imis fundamentis erexerat, & Academiam Eborensem, ipse ad calcem vsque per-

duxit, maxima bonorum omnium celebritate & gaudio prope infinito. In ea præterea ciuitate pauperum Xenodochium illi simile, quod Sanctissimus Pontifex Sixtus V. Romæ instituit & fundauit, Theotonius ab imis incepit ædificare fundamentis, illiq. vltimam manum imposuit, omnesq; pauperes in eo existentes suis impendijs alit, omniaq; ad victum & vestitum necessaria illis suppeditat. A primis insuper fundamentis amplissimum & nobilissimum Cænobium Carthusiorum extra muros ciuitatis Eborensis, illiq. plusquam septem aureorum millia in singulos annuos redditus, vt recte ali possent, assignauit. Quos redditus ipse Antistes suis proprijs pecunijs emit, Carmelitarum Monasterium, qui pedibus nudis incedunt, à principio ad finem vsque absoluit, eosque cum reliquis omnibus monasterijs pauperum Religiosorum, quæ ipse Antistes ædificauit, alit. Alia præterea opera prope infinita commemorarem, si per tempus id liceret, & locus id pateretur. Seminarium Eborę erectum, Aulam Archiepiscopalem in eàdem ciuitate denouo ædificatam silentio inuoluo. Quid referam ea, quæ optimus fecit Antistes, eo tempore, quo Eboræ & in vniuersa Lusitania de anno 1580. & de hoc præsenti anno grassata fuit contagio pestifera? Cum omnes tali morbo oppressos suis impendijs aluerit, sed ad Alfonsum reuertamur.

Nunquam satis laudare potero Alfonsum primum Lusitaniæ Regem inuictissimum, qui temporibus illis incultis, in quibus omnia præclara studia sepulta esse videbantur, multum tamen legebat, quod illius conciones, quas in Annales translatas legimus, plenæ Philosophorum sententijs facile declárant, in litteris autem sacris summo studio versabatur, ita, vt si quid ab illo Latine scribendum esset, eodem plane stilo scriberet, cuius diuina virtus cum admirabili sapientia coniuncta merito est in omni æternitate celebranda. Alfonsus enim primus Lusitaniæ Rex, cum Scalabim vrbem situ & arte munitissimam & militum multitudine & vigilum diligentia & præfectorum vigilantia defensam, centum & viginti tantum fortissimis hominibus stipatus nocte vna, vt dixi, cepisset, vrbis situm & Regionis ferti-

tili-

A tilitatem & expugnationem illam non incommode latinis literis postea complexus est, ita tamen, vt appareret illum ex sanctis litteris non viuendi tantum disciplinam, sed dicendi etiam stylum & rationem sibi peperisse. Post Alfonsi mortem vsque ad Dionysij Regis tempora viguit latinarum litterarum studium, quantum illa ætas rudis & impolita atque continuis bellis exercita ferre potuit, ita, vt nullum monumentum illius temporis exstet, quod non pure & dilucide, & vt nihil aliud dicam, latine scriptum sit. Deinde barbaries, quæ pristinam linguæ latinæ puritatem fœde contaminauit, Lusitaniam inuasit, non ita tamen vt studium illius in principibus exstingueret. Nam Eduardus Rex Ioannis hoc nomine primi filius, vt infra dicemus, non solum litteris valde deditus fuit, sed librum etiam de Regni moderatione scriptum reliquit, fratrem autem illius Petrum constat eruditum fuisse, Henricum etiam illum, qui primus ignotas insulas explorauit, viamq; aperuit, qua nostræ classes in Indiam, & in omnes solis Orientis Regiones penetrare possent, doctissimum fuisse constat. Homines, cum essent in armis enutriti, non tamen artes ingenuas & maximas disciplinas neglexerunt, sed multum studij & operæ in illis posuere. Non enim tunc alea, non libido, non ignauia, non desidia, non mollities, non desperatio illorum animos impediebat, quo minus ingenium excolerent. Quantum igitur temporis illis à Regni procuratione vacabat, tantum in studijs artium maximarum consumebant. Intelligebant enim omnem hominis liberalis & ingenui cultum virtutibus & scientia contineri. Mens enim, quæ in animo dominatur, disciplinis instruenda est, reliquæ partes animi virtutibus ornandæ sunt, vt possimus officio atque munere nostro perfungi, sed ad Regem Alfonsum reuertamur.

Ea enim mente & animo fuit Alfonsus, vt eius animus fuerit semper studio Religionis & scientiarum inflammatus. Christum ipsum crucifixum cælo sereno contemplatus præliũ illud memoria immortali dignissimum aggressus est. In quo quinq; Reges maximis exercitibus constipatos aggressus fudit & pro-

flagauit, qui cum Scalabim vrbem expugnaret, atq; portas ciuitatis effractas & repagula conuulsa cerneret, in medio portæ genibus flexis, antequam ferrum stringeret, tam incenso studio Deum veneratus est, vt in cælo versari sibi videretur. Alfonsus enim cum maximo animo præditus esset, & in bellis enutritus multos impiorum exercitus fortissimos atque maximos funderet fugaretque, nunquam sibi victoriam adscripsit vllam, sed omnes ad Dei clementiam & opem illius præsentissimam referebat, qui nunquam opus aliquod præclarum aggressus est, nec illud aliquo modo egit, quin prius in cælum tota mente respiceret, & opem diuinam assiduis precibus, castissimis votis, inflammato studio, flagitaret. A B

Emanuel Rex Alfonsi virtute & animi magnitudine commotus cum de anno 1502. compostellam fuisset profectus, vt ad Sancti Iacobi sepulchrum nuncupata vota persolueret; Conimbricam cum peruenisset, & sepulchrum Alfonsi Regis, de quo nunc agimus, parum magnifice extructum cerneret, id demoliri & aliud satis amplum & magnificum & Regia liberalitate dignum ædificari iussit eodem anno. C

Similiter Sebastianus Rex cum de anno 1573. Algarbiorum Regnum adiret, vt opida maritima, quam munita essent, proprijs oculis perlustraret, & siquid ad monimentum deesse videretur, exactissimo suo iuditio & Reipublicæ peritorum consilio præsens vel suppleret, vel nouaret, vel corrigeret. Fecit autem iter per Orichiensem agrum & victoriæ memorabilis loca omnia perspexit. Nullum ibi erectum trophæum, nullam inscriptionem, tantum sacellum illud ignobili fabrica, non semel refectum, rusticorum tantum cultu Religiosum reperit. D Puduit illum incuriæ, & socordiæ sæculi superioris. Atque vt excusari mereatur ætas hominum illorum, qui in continuis bellis vitam traducebant, & dextras promptiores ad pugnandum, quam ad litteras illa tempestate sepultas, & ingenia inclinatiora ad arma habebant. Miranda tamen non est florentibus postea rebus & renata philosophia obliuio tam diuturna. Natura enim comparatum est, vt quæ optima sunt, non omnia

simul,

A simul, sed per temporum interualla emergant. Sebastianus ergo affectus mira pietate, & vt apparitionis Christi & Regis maximi atque inclitæ victoriæ memoriam renouaret, eamq; faceret rediuiuam, diruto veteri sacello templum inædificari præcepit, atque ibi nobili arcu extructo & superaddito, ex altera parte latine, & ex altera Lusitano Idiomate sic inscribi imperauit.

Hic contra Ismarium quatuorq; alios Saracenorum Reges, innumeramq; Barbarorum multitudinem pugnaturus felix Alfonsus Henricus ab exercitu suo primus Lusitaniæ Rex appellatus est, & à Christo, qui ei crucifixus apparuit, ad fortiter agendum commonitus, copijs exiguis tãtam hostium stragem edidit, vt Cobris atque Tergis fluuiorum confluentes cruore inundarint, ingentis atque stupendæ rei, ne in loco, vbi res gesta est, per frequentiam obsolesceret. Sebastianus primus Lusitaniæ Rex bellicæ virtutis admirator & maiorum suorum gloriæ propagator erecto titulo memoriæ renouauit.

B

C Infinitum esset recensere Alfonsi laudes & virtutes, quam multis in locis immensas hostium copias exigua manu fuderit, atque incredibili ardore pietatis incitatus quam præclara facinora pro Christi nomine susceperit.

Anno ergo 1169. Alexander III. Pontifex Opt. Maximus Alfonso & successoribus Lusitaniæ Regnum confirmauit die 3. Maij 1169. missa legatione ab Alfonso ad eumdem Alexandrum, quam in Latheranensi Ecclesia magno Romanorum ciuium numero, & populi multitudine prope infinita illuc confluente, vniuerso sacro Cardinalium Collegio assistente cum vniuersa Romana curia ratam Alexander habuit atque firmam indixit Alfonso eiusque successoribus Lusitaniæ coronam, hac tamen conditione, vt singulis annis tam ipse Alfonsus quàm eius successores Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vnam auri libram loco tributi soluere tenerentur. Hanc vero confirmationem publica intelligibili & clara voce publicauit & edixit Albertus Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarius. De exactione libræ

D

vnius

vnius auri quamplurimę Innocentij Pontificis Epistolę extant, quibus vniuersos Reges adhortatur, vt illam soluant, postea autem temporum vicissitudine solutio exoleuit. A

Alfonsus tandem omnibus rebus tam bello strenue quam pace pie gestis, diem suum clausit extremum Conimbricæ die septima mensis Decembris anni 1185. cum vixisset annos 91. & imperium Lusitaniæ per annos quadraginta obtinuisset, & in Cænobio Sanctæ Crucis sepelitur, quod ipse à primis fundamentis in eadem Conimbricensi ciuitate ædificari curauerat. B

REX

# A REX SECVNDVS

## SANCTIVS PRIMVS.

SANCTIVS primus Alfonsi primi filius Princeps exstitit Lusitaniæ vtilissimus patris vestigijs semper, dum regnauit, institit.

Duxit in vxorem quadriennio ante patris Alfonsi mortem Dulciam, seu Aldonziam filiam
B Ranimundi Berengarij & Petronillæ Aragoniæ Regis filiam & Ranimiri monachi neptem, atque Alfonsi III. Aragoniæ Regis sororem, quæ illi peperit Alfonsum, qui patris hæres, & princeps nominis celebratissimi fuit.

Fernandum, qui in vxorem duxit Ioannam Galliæ Belgiæ Comitissam atque Balduini Imperatoris Constantinopolitani filiam. Fuit Fernandus vir animi vehementis, quamuis non ad voluntatem suam res fluerent. Nam in pugna illa apud Boui-
C nas, qua ipse interfuit, commissa, cum Imperatore Othone IIII. & Ioanne Angliæ Rege & Reginaldo Comite Dampmartini & alijs aduersus Augustum Philippum Galliarum Regem captus est, & per multos annos Lutetiæ in arce Lupara asseruatus & detentus in vinculis fuit. Tandem multorum precibus à Ludouico Nono galliarum Rege ex tam dura & tam diuturna seruitute liberatus ex ergastulo corporis emigrauit Nouiomi anno 1233. eius corpus maximo cum honore sepultum fuit, hoc disticho in eius tumulo insculpto, quod Meyerus
D auctor non spernendus in suis libris nobis scriptum reliquit.

*Fernandi proauos Hispania, Flandria corpus,*
*Cor cum visceribus continet iste locus.*

Petrum, qui seu discordijs cum Rege Alfonso fratre, qui tam erga fratres quam erga sorores asperrimus fuit, nec aliqua benignitate aut humanitate in suos vtebatur, aut desiderio diuersas Regiones videndi multas orbis partes peragrauit, & in Africa apud Marrochiorum Regem tempus aliquod commoratus fuit, cumque ab eo discessisset, denique in Aragoniam venit,

venit, vbi matrimonium contraxit cum Aurembiage, cuius iure Petrus Comes fuit Vrgellensis, & à Iacobo Aragoniæ Rege Maioricæ Regnum obtinuit, eius tantum vita durante, vt aliquo præmio cumulari posset propter hæreditatem, quæ ad matrem Dulciam in Aragoniæ Regno specta bat, cumq. vires, vt illud tueretur ex Saracenorum iniurijs, non haberet, nec aliquę facultates illi suppeterent ad tantam prouinciam sustinendam. Regnum iterum Iacobo restituit, qui maiori & præstantiori munere ab eo fuit cumulatus, & ciuitatem Segorbiam & Morellam aliaq; opida illi largissime concessit in Aragoniæ Regno. A B

Huius Petri infantis auxilio fretus Guillelmus Mongrius electus Archiepiscopus Tarraconen. Insulã Ebusum debellauit anno 1235. & tandem sine filijs Petrus vitæ suæ cursũ impleuit.

Dum Petrus apud Regem Marrochiorum degeret causa discordiarum inter ipsum & Alfonsum fratrem exortarum, illi quinque Martyres Ordinis Sancti Francisci, Hetruriæ Prouinciæ, qui iussu sancti Francisci in Africam profecti sunt, vt Barbaras illas nationes ad veram, & Catholicam Fidem conuerterent, in Marrochiorum ciuitate Martyrij coronam adepti sunt. Quorum sanctorum corporum reliquias Petrus infans, de quo nunc loquimur, & Alfonsi hoc nomine secundi Regis Lusitaniæ germanus frater, qui vt dixi, propter inimicitias cum fratre contractas in ea ciuitate morabatur, maxima cum pompa & honore in Aragoniam, inde vero ad illud celeberrimum & vere Regium monasterium Sanctæ Crucis ciuitatis Conimbricensis, quod vt dixi Rex Alfonsus à primis fundamentis erexit, transferri curauit, quo in loco propter tantorum sanctorum merita quamplurima Deus operatur miracula. Nec Petrus infans proptet tam sanctum & tam pium opus sine maximo præmio permansit, Deus enim illum in itinere ab imminenti mortis periculo liberauit incolumem. C D

Henricum, qui admodum adolescens ex hac vita migrauit. Thearasiam vxorem Alfonsi Noni Legionis & Calleciæ Regis, ex qua cum iam filios procreasset Lusitani à Cælestino Tertio Pontifice Opt. Max. separationem magnopere appetebant, tum

quia

# ORATIO IN FVNERE

## SERAPHINÆ A PORTVGALLIA,

IOANNIS BRIGANTIAE DVCIS
filiæ & Catherinæ Emanuelis XIV. Lusitaniæ, Algarbiorum, Africæ, & Indiarum Orientalium, &c. Regis ex
Eduardo filio neptis:

*Quæ vitam cum morte commutauit Romæ die 6. mensis Ianuarij 1604. hora prima noctis in aula Illustriss. Eduardi Card. Farnesij atque eiusdem sororis consobrinæ.*

AD ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. PRINCIPEM, ET DOMINVM, ATQVE DOMINVM MEVM.

IOAN. PACIECVM

VILLENÆ MARCHIONEM;
SQVALONAE DVCEM;
SANCTI MARTINI COMITEM.

ET ALVMENVM IN REGNO
Murtiæ Dominum, &c. Necnon Philippi Tertij Regis Catholici in alma Vrbe oratorem.

*Auctore Emanuele Constantino Lusitano, & sacræ Theologiæ Doctore olim in almæ Vrbis Gymnasio publico professore, & sacri Collegij Clerico.*


ROMAE, Ex Typographia Stephani Paulini. 1604.
*Cum Superiorum permissu.*

# ILVSTRISS. ET EXCELL.

## PRINCIPI IOANNI PACIECO MARCHIONI

### Villenæ Duci Squalonæ, &c.

*Emanuel Constantinus eius deuotissimus Seruus*. S. P. D.

OFFERO tibi Principi Excellentissimo hoc munus; perexiguum illud quidem, si ex sua aut ex tua dignitate spectetur; si ex viribus meis mediocre; si ex animo maximum. Sunt enim illæ eædem lachrimæ, quas ligata oratione paulo ante ad te detuli, nunc vero oratione soluta easdem lachrimas tibi puro & candido corde offero. Triste quidem vt primum obsequij munus oblatum; debitum tamen mihi; vt extremum pietatis officium. Quid enim altum aut egregium tantis calamitatibus depressa vis animi excogitare moliri ve potest? Cui locus vix esse potest, vbi mentem & dolor & tristitia occupauit. Recte enim intelligo te tali atque tanta vxore amissa vehementer excruciari, tum ob illius prope diuinas virtutes, tum ob incredibilem amorē; quo illam prosequebare. Hæc autem omnia prudentia tibi à natura insita & innata debes temperare; vt omnes tuos seruos, qui tuarum calamitatum & laborum sunt participes fidelissimi; aliquo solatio subleues. Illud vero memoria repete omnia humana esse inania; leuia; & commutabilia. Cumque animi tui magnitudo tanta sit; quanta nec excogitari nec verbis possit exprimi; adeo; vt omnium de te opinionem quam facilime superes. Nec debes mærore conta-

tabe-

tabescere, quando quidem Deus omnia præclara facinora ad illius gloriam dirigenti nunquam tibi deerit, sed numine suo te proteget, & sempiternis ornamentis decorabit. Mihi autem nequaquam dubium est; quin terrena contemnens & cælestia appetens in veram diuinamq. gloriam incredibili animi tui cursu studioq; contendens atque spe illius claritatis erectus gaudia percipias incredibilia; intelligens in illius demum gloriæ studium esse omnibus viribus enitendum, quæ Christi veri Dei laude & beneficio continetur. O Principem rari & singularis exempli, cuius animus hic adhuc in terris commorans, corporis compagibus inclusus, his mortalibus membris septus & irretitus; tamen euolas aliquando ex ipso carcere; omnibus negotijs ad Philippum III. Regem Catholicum; cui tam fideliter inseruis; procuratis. Teq; liberum ad præstantissimarum rerũ naturas contẽplandas rite & recte erigis; lustrasq; oculis illam orbiũ cælestium vastitatem, percurris signa sideraque singula; & inde parentis omnium atq; Rectoris magnitudinem intueris & sapientiã ponderas. Alii voluptatibus corporis depressam mentem attollere nullo modo possunt, tu recto vultu splendorem illum cæli aspicis & astrorum; & mihi iã præsentire videris non habere te hic habitandi locum & domicilim sed diuersorium commorandi; huius autem veritatis verissimum exemplar & tibi & omnibus nobis Seraphina non multos ante hac dies præbuit. His vero omnibus rebus maiores tuos in omni ætate celebrandos imitaris; qui ex Regum progenię orti sunt. Sed quæret aliquis, ex qua progenie? Ex progenie & stirpe Regum Lusitaniæ, qui Religionis Catholicæ defensioni reliqua alia semper post habuere; & pro illa; quoties ita res ferret; non fortunas modo suas verum etiam suum caput, sine vlla cunctatione, in quodlibet periculum afferrent. Nec vero eos ita animatos esse mirabitur quisquam; qui cognouerit; nunquã eos ipsa Regni sui insignia posse aspicere; quin statim recordentur antiquæ maiorum suorum virtutis & laborum, quos pro Catholica Fide & Christiana Religione maximos maxime-

que memorabiles pertulere. Sed hæc nimis multa tibi Principi occupatissimo & in rebus gerendis prudentissimo atque grauissimis de Republica Christiana negotijs & cogitationibus fatigato. Accipe ergo hanc orationem in funere Seraphinæ vxoris tuæ compositam, quam sub nominis tui præsidio in lucem prodire decreui, tum; vt animũ meũ in tui nominis studium satis incitatum insigni aliqua meæ voluntatis significatione demonstrarem, tum; vt contra improborum calumnias atque tela me munirem. Tibi ergo Excellentissime Princeps, opus hoc placere cupio; cui quanquam gratia referri tanta non potest, quanta debetur; habenda tamen est tanta; quantam maximam animi nostri capere possunt. Quapropter memoriam tanti beneficij collam beneuolentia sempiterna non solum dum anima superabo mea, sed etiam cum mortuo monumentum tanti beneficij in me permanebit. In referenda autem gratia hoc tibi promitto semperque præstabo; mihi nec in perferendo laborem industriam; nec in tuis commodis augendis gratam animi mei beneuolentiam defuturam; atque hæc cura erit infixa animo meo sempiterna; vt & tibi & posteris tuis hac seruitute dignus esse videar; qua me licet indignum tã prompto animo dignum esse iudicasti. Hilari ergo vultu excipe hoc meæ tenuitatis munusculum; perexiguum illud quidem si cum meritis tuis velis comparare, sin animũ: quo me tibi addico & iamdiu addixi intuearis, amoris & obseruantiæ plenissimum. vale totius Hispaniæ splendor decus, & ornamentum. Romæ idibus Martij. 1604.

# ORATIO IN FVNERE

## SERAPHINAE A PORTVGALLIA Emanuelis XIV. Lusitaniæ Regis Proneptis.

HOC tandem malum supererat afflictis Lusitaniæ rebus, vt post tot tantasque perpessas calamitates; Seraphina, qua vna se illa recreabat; in ipso ineuntis adolescentiæ flore acerba atque immatura morte raperetur. O lubrica vitæ humanæ curricula, o incerta vota, o fallaces hominum spes. Ego autem ad communem dolorem leuandum vehementer optarem aliquod consolationis genus adhibere, sed dum; quid sum dicturus cogito; nihil mihi nisi commune & vulgare occurrit; nihil esse intra Lunam nisi caducum & mortale; valetudinem morbo; pulchritudinem tempori; fortunæ diuitias, morti vitam obnoxiam; Regna, & Imperia deficere, vrbes & opida dirui, saxa ipsa tempore consenescere, & vetustate corrodi, vitam vmbræ, & somnio; seu potius vmbræ somnio similem. Conferamus gaudia quibus vniuersa vrbs lætata fuit propter optatissimum Seraphinæ in Vrbem aduentum cum hoc squalore, & luctu, & proprio atque domestico exemplo edocti ediscamus malo nostro aliquando eam esse rerum humanarum inconstantiam; vt inter prospera, & aduersa incerti fluctuemus. Sic enim humana gaudia dolore, lachrimis, & gemitibus, funestantur; & cum ex se nihil solidi habeant, instar aquæ & fumi elabantur & fluant necesse est. Quod omnes nos nuper in Seraphina clare vidimus, quæ cum die septima mensis Nouembris anni proxime elapsi in Vrbem fuisset ingressa tanto cum gaudio vniuersæ Romanæ curiæ, vt ipsi septē colles ipsa Vrbis mænia, si natura pateretur; sedibus suis relictis Seraphinæ Principi ex Regum Lusitaniæ familia ortæ gratulatum & lætatum

prodire

prodire cupere viderentur, non multos post dies nempe die sexta Ianuarij præsentis anni hora prima noctis & festo Epiphaniæ, atque ab eadem die; qua ipsa in tam grauem morbum incidit, quartadecima; immatura morte præuenta omnem Romanam curiam tanto dolore excruciatam reliquerit. vt nullum flumen ingenij, nulla dicendi copia tanta erit; quæ minima saltim ex parte id verbis poterit explicare. Ego vero; vt aliquid de me dicam, hoc verissime possum affirmare & procul dubio statuere; si Seraphina suarum prope diuinarum virtutum posset hæredes instituere; aliquis tandem reperiretur laudator, quemcumque ipsa illarum successorem esse voluisset. Quò mihi maius atque difficilius onus impositum esse video, quod neque vnquam subire ausus essem; nisi mea me ab ipsa infantia aduersus Eduardum Principem omnibus animi & corporis dotibus excultum Seraphinæ auunculum & Ducem Vimarenensem seruitus, & Catherinam eius matrem obseruantia, & Alexandrum Archiepiscopum Eboresem Seraphinæ germanum fratrem flagrantissimus amor & incredibile inseruiendi desiderium, vt id facerem, adduxissent. Nam si quisquam de talis atque tantæ Principis; qualis Seraphina fuit; laudibus aliunde pro ipsius dignitate dicere posse existimassem, valde me puderet; hoc onus suscepisse, vnde nihil aliud præstitisse viderer, quam vt Seraphinæ laudes inopia dicendi detererem. Nunc vero, cum satis intelligam; quod mihi procul dubio euenturum est, vt oratio mea longe lateq. infra ipsius dignitatem iaceat, idem cuilibet quamuis copioso & exercitato homini euenturum fuisse; facile patior delectum potissimum esse me; cuius prædicatione quasiq; præconio admirabilium & prope diuinarum illius in omni genere virtutum, ad eos; quibus ipsæ minus notæ essent; qualiscunq. cognitio perueniret. Quod si in me vlla facultas esset; optarem equidem aliquam mihi non tã vberem atq. copiosam ad dicendum materiam dari; vt in singulis eius partibus accurate percensendis; copiose exornandis; artificiose exagerandis; iactare atque ostentare me

possem

possem. Nunc enim; vt pictor,cui in exigua aliqua tabella hominum infinita multitudo exprimenda est,nonnullorum vultus atque ora multorum, summa modo capita ostendit; totum reliquum corpus abscondit, ita me cum Seraphinæ innumerabiles laudes in hac breui oratione concludere vellem; significare potius & delibare quam ostendere necesse est. Etsi more cõsueuimus nostrorum æqualium dolere quorum obitus vel exitium vel magnum aliquod detrimentum rebus ipsorũ priuatis,nostris vero familiaribusque solitudinem quamdam afferat. Profecto impium atq. nefarium & inauditi cuiusdam stuporis existimandum est ab eius discessu nihil aut parum doloris capere; quacum ipsa Lusitana Respublica pariter miserabili funere elata esse videatur. Vnde ergo in tanta,quæ sese mihi ad dicendum offert copia;initium sumam? An ab ipsa Seraphinæ infantia? eminebat enim & apparebat in illa tenera ætate maxima quædam ad virtutem indoles; & illi integerrimi mores in illis teneris annis clarissime demonstrabant: quæ Seraphinæ bonitatis esset futura maturitas & spem magnam omnibus summæ probitatis, & sapientiæ atque sanctitatis afferebant. O diem illum cõmemorabilẽ & in fastis alicuius eximiæ notæ signandum; quo Seraphina nata est fœmina rari, & singularis exempli; pietate omnibus sæculis prædicanda, ardore animi maxime commemorabilis pietate & amore erga Deum nemini secunda hac ætate. Mirabantur omnes tantam de se spem conceptam. Quid nũc de pueritia Seraphinæ referam? nota talis pueritiæ indoles & animi ad summum culmen peruenturi, data in illa ætate signa;& nota temperantiæ & humanitatis, nota munificentiæ liberalitatisq. exempla,notum non solum obseruandæ, sed etiam amplificandæ & propagandæ Religionis studium; nota deniq. maxima & nunquam audita erga omnes beneuolentia atq.caritas ardentissima. Tandem talem pueritiam fuisse accepimus, vt propie pueritiam appellare non ausim; cum annos prudentia & virtute præcurreret; adeo; vt eo in pueritia perueniret, quo cannescentibus alijs fuit

in sene-

in senectute peruenisse gloriosum. Mirabantur omnes tantam grauitatẽ & prudentiam, tantum rerũ omnium modũ prædicabant, facilitatem & modestiam, & omnes iuuandi atq; subleuandi studiũ, incredibili amore Seraphina complectebatur. Omnia enim; annis Seraphina eripuit; quæ secum solent afferre. Denique nulla potest nominari vllo in genere virtus, quæ in Seraphina in summo gradu semper non eminuerit. Non cõmemorabo in rebus prouidendis prudentiam; in suscipiendis consilium; quamdam in omni actione maturitatem, ita; vt mirandum non sit, si non modo seri illi & vltimi, sed etiam ipsius iuuentutis anni tamquam inutiles præscindantur. Vt enim in herbescentis segetis viriditate certa prope spes futuræ messis apparet, sic Seraphina ab ipsa pueritia talis erat; vt quilibet quamuis mediocri ingenio præditus esset; facile dijudicaret elabente tempore fore iustam, integram, continentem, atque omni virtutum genere excultam. Vnde Ioannes Brigantiæ Dux eius pater propter spem; quam de se summam concierat Seraphina, tanto illam amore prosequebatur, quantus patris indulgentissimi & simul integerrimi erga filiam suauissimis amabilissimisq; moribus esse potuit, tanto vero in honore atque pretio, vt quodam quasi rerum futurarum augurio soleret dicere Seraphinam fore decus aliquando & lumen omnium fœminarum; quæ ex nobilissima familia sua extitissent. Similia Catherina eius mater & vniuersa lusitania dicere solebat, & eadem Seraphina hoc opere comprobare semper conata fuit maiores suos præ oculis proponendo; qui tales fuere; vt nec magnitudine animi & fortitudine; nec rebus præclare gestis; nec erga Deum pietate cuiquàm cedere voluere. Non opus est hoc in loco referre illum magnum Alfonsum Primum Lusitaniæ Regem, ex cuius stirpe Seraphina nata est; cuius virtus & fama nostris imperium peperit. Cuius animi pietatẽ si spectemus. Cum pro Victoria deprecaretur Deus Optimus Maximus Cruci affixus visus est. Si vero strenuitatem atq; virtutẽ illo viso confirmatus, manu perexigua

gua

& tenuissimis opibus dimicans cum quinque Regibus opulentissimis & locupletissimis nominis christiani hostibus accerrimis infinitas illorum copias vno fusas deletasque prælio penitus fudit & profligauit. Non refero innumeras aliorum Regum pugnas & victorias incredibiles. Illam autem Ioannis Primi gloriam; a quo natus est Alfonsus Primus Brigantiæ Dux Seraphinæ atauus; nec reticere nec dissimulare possum. Te enim Ioannes Rex inuictissime appello; qui illam munitissimam arcem in dorso Abilæ montis celsissimi collocatam, nemine e tuis præter vnum ex familia Ataidia desiderato; virtute inaudita, maxima industria; vno solum die expugnasti; & renitentibus hostibus sub tuũ Imperium; redegisti aditumq. illi Barbariæ in vniuersam Hispaniam facilimum vno solum die perpetuo interclusisti. Si enim possent; vt antea; barbari illi per vniuersam Hispaniam, quæ est illorum audacia & furor atque nostri sanguinis insatiabilis sitis, sæuissima belli procella & tempestate effunderentur. Nec minorem gloriam fuisse arbitror illius magni Principis Henrici eiusdem Ioannis primi filij; qui cum vniuersum orbem mente & cogitatione peragraret, eo primus deductus est, vt ad Indos nauigari posse existimaret, & mare Athlanticum ingressus; quod diuino numine inspirante fuisse factum, vt exitus comprobauit, existimandum est, remque in omni memoria inauditam tentare ausus est. Inde vero multas & feracissimas insulas antea ignotas, & maximam Africæ partem explorauit. Cui acceptæ ferendæ sunt omnes nauigationes Hispaniarum tam ad Occidentem, quam ad Orientem Solem. Non patitur temporis breuitas, vt referam heroica facta, & propè diuinas virtutes Alfonsi Primi Brigantiæ Ducis, Henrici Principis fratris; nec aliorum Ducum; qui tali munere vsque ad Theodosium; qui hodie regnat; functi sunt. Talia enim sunt istorum Principum recte facta, vt si omnia singulariter persequi velim; animo enim meo fixum remanet; vt non dies modo me sed vox ipsa diesque deficient. Quid de materno genere Seraphi-

B na-

næ referam? Quis erit adeo rerum nostrarum ignarus & imperitus, qui recte non intelligat Seraphinam natam fuisse ex Catherina filia Eduardi (quem filium octauo loco genitum Emanueli Regina Maria peperit) Principis in omni ætate celebrandi. Cum natura clemens & mitis extitisset tam Lusitanis, quam cæteris omnibus exteris nationibus propter innatam benignitatem & humanitatem charus & periucundus; qui si immatura morte, vt filius, non fuisset præuentus; multas vtilitates propter insitam probitatem & industriam rebus communibus afferre potuisset, & patris Emanuelis vestigijs institisset. Te te appello Rex Emanuel; de quo quid hoc in loco dicam? Cum enim breuissimo tempore innumeris ornatissimisque classibus Africam obruisset, & vi cepisset, multa opida natura & opere munitissima; hostibus omnibus inde facile propulsatis, sub suum redegisset Imperium; aditum ad Indos, quod eiusdē maiores fuerant aggressi; victis omnibus ipsius naturæ dificultatibus; superatis vastissimi Oceani fluctibus, aperuit. O te Regem felicissimum, si vitæ tuæ cursum exacte velimus spectare; si enim in rebus humanis felicitas vlla stare potest, te Regem fortunatissimum merito appellare possumus; atque inter totius orbis felicissimos Principes vere connumerandum esse censebimus. Nam præter quam quod ad Regiam dignitatem præter spē euectus es, cedentibus tibi quamplurimis, qui ætate, gradu, in Regni Lusitaniæ successione te erant priores; Legionis & Castellæ Regna fuisti inauguratus, & omnes illarum Prouinciarum Proceres ad manus oscula admisisti, & tuum Lusitaniæ Regnum longe lateque propagasti. Tibi ergo propie dixerim omnes Lusitanorum opes, omnisque vel nauigandi, vel bellandi gloria debetur, & cum nominis tui fama & splendore orbem terrarum impleuisses; non solum armis fines Imperij tui apud barbaras nationes; sed veram, & Catholicam Fidem atque Christianam Religionem latissime propagasti. Quid ego hoc in loco commemorare instituam potentiam Ioannis III? quem Eduardus auus mater-

maternus Seraphinæ germanũ fratrem habuit. Nũc silentio inuoluam ipsius amplissimam animi magnitudinem, depressas Turcarum aliorumque hostium classes; fusos, & extinctos maximos hostium exercitus; latissimas amplissimasque prouincias bello domitas; cæteraque Imperij ornamenta longe maxima. Sed hæc & alia quamplurima quæ sciens, ne longior sim, pretereo, ad ea bona deueniam; quæ Seraphinæ propria fuere, illamque omnibus venerandam, & amabilem reddidere. Non opus est hoc in loco recensere venerãdam & incredibilem eius sanctitatem; flagrantissimum erga res diuinas & Deum amorem, erga viduas & pauperes caritatem (quæ vt ait Apostolus perfectionis vinculum est;) modestiam; quam in omnibus suis tam dictis, quam factis retinuit; animi magnitudinem; qua nihil humile, nihil angustum, nihil vulgare cogitauit, fidem & constantiam; quam nihil imminuere, aut labefactare potuit, veritatem, quæ virtutum omnium custos est; & alias prope diuinas virtutes; quas omnes; si commemorare instituam, nullum vnquam finem mea inueniet oratio. Iam vero in liberalitate, & munificentia, comitate, tenuium, & afflictorum hominum misericordia nullam vnquam parem habuit Seraphina. Quis vnquam ab illa honestum aliquid petiuit, quod ipsa statim libentissime non concederet? Quem illa egentem, & quæ ad victum & cultum suppeterent, corrogantem, manibus vacuis a muneribus dimisit? Cui vexato, & misere iacenti abfuit? Si ab hac Principe aliquid expeteret? Nullæ in vestitu & cultu delitiæ; maxima in ipsius moribus lux, & splendor, quidquid otij nanciscebatur, vel in corporis labore, vel in animi contentione, vel sacris precationibus; vel rerum diuinarum commentationibus consumebat; corporis voluptates veluti res detestabiles execrabatur, respuebat, & aspernabatur, ludos, & æqualium studia deferebat, non conuiuijs, non frequentia, & celebritate delectabatur, omnis insignis gemmarum, & margaritarum pulchritudo & ornatus explodebatur, sola mundities in corporis cultu remanebat, innocens corpus

inedia castigabat; suæque met victrix; ne occultis, & tectis superaretur insidijs, humani generis hostem cibi inopia & tenuitate deprimebat. Denique in omni virtutum genere supra proprias vires omnibus antecellere elaborabat, & tanta fuit Seraphinæ in omni vita constantia, & seueræ disciplinæ norma, vt pater eius Ioannes Dux Brigantiæ, & mater eius Catherina vehementer admirarentur, adeo; vt cum primum Ioannes eius pater migrasset ab hac vita, & fama Seraphinæ tam de vitæ sanctitate quam de morum integritate, tã Lusitaniæ, quã Hispaniæ oras iam peragraret, Philippus hoc nomine primus Lusitaniæ Rex, & pater Philippi, qui hodie regnat, & tanta cum pace Regna omnia sua moderatur, cũ illam matrimonio tradere cõstitueret; sæpissime animo suo euoluebat; quẽ ex vniuersis Hispaniæ proceribus eligeret; reque iterum atque iterum deliberata; tandem Ioannem Paciecum Villenæ Marchionem ex nobilissima & antiquissima Paciecorũ familia alijs omnibus Hispaniæ proceribus prætulit. Recte enim Philippus intelligebat hanc nobilissimam familiam in Hispania floruisse per annos quadringentos ante Christum natum, atq; ex eadem familia per mille, & amplius annos Comites; Marchiones; Duces; & innumeros alios principes & heroas floruisse; ex illaque veluti ex equo Troiano prodijsse belli pacisque gloria præclarissimos disciplinisque omnibus instructos. Cumque recte teneret Ioannis Paciecí maiores ex Regum Lusitanorum familia ortos esse, atque Seraphinã ex eadem Regia familia ortam, tanto & tam magnanimo Principi debebere merito coniũgi, vt ambo sese vnico & indisolubili amore, vt exitus comprobauit, complecterentur. Nupsit ergo Seraphina tanto Principi, & matrem Catherinam in Lusitania reliquit, Castellamque ad coniugem Ioannem venit. Quid exist imatis fecisse Seraphinam, posteaquam tantus Princeps illã duxit in vxorem? Num arrogantia se extulit? neminem ad colloquia admisit? cæteros flocci pependit & pro nihilo habuit? Nequaquam; quam alio animo & alia mente ad nuptias venerit Seraphina, satis illius vita

aper-

aperte demonstrauit. Nã statim post nuptiarum celebritatẽ Deum solũ & omnia honesta sibi præ oculis præposuit, nec; vt fere mos & desidiosa consuetudo fert; inertiæ prætendebat se maximis natalibus ortam esse; & ex Regum Lusitanorum familia trahere originem; & natam esse ex illis Regibus; quos pauloante meminimus; & maximam in se habere dignitatem, &, cum talẽ virum sibi coniugem obtinuisset; vehemẽter illam accreuisse; quæ omnia propter Deũ pro nihilo faciebat Seraphina. Nupta sum, inquit, & legibus matrimonij mihi parere necesse est; sed ita; vt quotidie repetam me ad hunc honorem peruenisse hac lege & conditione; vt rerum omnium moderatori, & Architecto Deo singulis momentis obtemperem, illiusque & præcepta, & mandata ad vnguem obseruem. Quam ob causam vehemẽter mihi reformidandum est, ne quam Deus ad hunc maximum honorem, & gradum dignitatis extulit; arrogantia & superbia deprimat ad supplitia sempiterna; labores vndequaque erunt, omnes molæstiæ & calamitates & suscipiantur, & deuorentur; nec oculi quidem tantisper deijciendi sunt, me & peruigilare, & elaborare omnesque animi mei neruos contendere oportet; & in quadam perpetua custodia continuo esse necesse est. Insuper cum hoc eodem corpore cum hisce membris; quæ gerimus, longa subeunda est dimicatio, quod ego non solum recuso, sed etiam iterum atque iterum, & exposco, & exopto. Quam ergo vitam Seraphina sibi præ oculis semper præposuit & instituit? quam? vt ab eius vitæ exẽplo oẽs exemplũ capere potuissẽt; singulis diebus sacrum audiebat; diuinas preces recitabat, & crimina singulis hebdomadibus expiabat; atq; sacros. Eucharistiæ Sacramento se reficiebat; alebat inopes, frumentum tribuebat, nummos diuidebat, dites etiam; si qua re egerent, non excludebat, sacris virginibus subministrabat victum, & reliqua omnia ad vitam necessaria suppeditabat. Quot quantisque in extrema inopia constitutis sua liberalitate vitam & salutem donauit Seraphina? Quam multæ viduæ fame & inopia conficerentur; nisi illa

quan-

quanta maxima diligentia omnibus opem afferret, & illico subuenisset. Quæ omnia adeo excreuerant; vt Seraphinæ bonitas in certamen veniret cum mercatorum auaritia; eius præliabatur liberalitas, cum detestabili hominum barbarorum immanitate; illi multos interire non curabant, hæc omnes nitebatur conseruare, illi vel cum omnium pernitie rem familiarem amplificare cupiebant, hæc, vt vnum solum incolumen conseruaret, omnes opes suas effundere non dubitabat; illi thesauros suos effossos humi habere quam diligentissime elaborabant; hæc omnes suas rationes & copias in Regionem cælestem conferre properabat. Hoc autem in loco sit mihi fas illum maximum virum incredibilique sanctitate excultum comparere cum hac maxima fœmina vere ex Regia stirpe progenita; & quamquam illa tali viro longe sit inferior; quinimo in omnibus inferiorem fuisse necesse est. Illũ tamẽ imitari semper concupiuit; non tantum in eo; quod omnia bona sua semper egentibus suppeditabat, sed etiam illius sanctitatem semper imitari conabatur. Quid ergo nunc dicam? ille oratione auaritiæ cellas aperuit, hæc suæ liberalitatis horrea incredibili humanitate patefecit; ille cum egentes non posset suis sumptibus & copijs alere, opera & diligentia conquirendi iuuit, hæc cum de suo præbere posset, aliunde quærere necesse non habuit; ille collectos vno in loco vndique pascebat, hæc suum victium cuique domi subministrabat, ille; quia non poterat; se ministrum effecit; hæc se; quia ministram non licebat; præbuit altricem, ille pauperes sumptibus diuitum & locupletiorum sustentabat, hæc tam pauperes quam locupletes suis alebat impendijs; ille pro ciuitate fabas & alia; quibus pauperes solent vti; apponebat; hæc suis facultatibus optima cibaria largiebatur, ille tandem neminem; qui repugnaret; habuit, hæc plurimos nacta est; qui eius studium retardare, beneficentiam reprimere, omnes suæ liberalitatis vias intercludere nitebantur; quadam falsa, & assimulata prudentiæ spe. O inuictum, Seraphina; animi tui robur; & liberalitas incredibilis, Silentio

præ-

prætermitto reliqua omnia, quæ tantam admirationem nobis, quantam cogitare possumus, afferre debuerant. Et ne plura dicam, hoc tantum satis sit, tantam fuisse Seraphinæ erga pauperes, & egentes liberalitatem & beneficentiam, vt cum Constantino illo magno, cum Theodosijs, & alijs maximis, & liberalibus atque splendidissimis Imperatoribus & Principibus, quorum liberalitas & Religio maxime est celebrata; multum decertare videatur. Merito ergo nobilium, & pauperum fœminarum profusis lachrimis tuus ab hac vita discessus deploratur; cum inopiæ, & nobilitatis suæ orbatæ præsidio; quo nūc confugient? vbi conquiescent? in cuius sinu curas doloresque suos deponent? Ad quem denique confugient illi, quos in maximis rei familiaris angustijs, a quoquam auxilium expetere verentes, tuis proprijs facultatibus alebas? eosdemque; cum opus erat, in filiarum collocatione adiuuabas? Multa præterea memoratu dignissima; sed mihi non tam orationis conquirenda copia est quam vestra satietas refugienda. Et in Seraphina cum omnia summa præclarissimaque fuerint, Religionis certe pietatisque studium tantum in illa effulsit, vt nisi cætera omnia singularia essent, hoc vnum in illa singulare merito appellarem. Hæc vna laus tua, o Seraphina; obruit atque obscurat reliquas laudes tuas, & veluti orto Sole lumina minora oculorum nostrorum aciem effugiunt, sic illæ; vt sunt illustrissimæ; hoc tamen magno splendore & lumine effuso, omnium earum lux & splendor extenuari & euanescere necesse est. Denique qudquid Regium, quidquid pulchrum, quidquid egregium, & pulcherrimum reperiebatur, vni Deo & Religiosis hominibus atque pauperibus tribuebat. O rem magnam, & incredibilem, & omnium gentium ore linguisque prædicandam. O factum egregium & propè inauditum post hominum memoriam. Viceras superioribus rebus tuis, clarissima Princeps, aut; vt quam modestissime dicam; æquaueras omnium hominum laudes atque gloriam, nunc tu quodammodo te maior effecta es, & cum neminem haberes,

quem

quem posses superare, te ipsam superasti; nec summis contenta rebus, quæ augeri posse nullo modo videbantur; hoc insolito & nouo genere laudis cumulasti. Multa memini, multa audiui, multa legi, nihil ex omnium sæculorum memoria tale cognoui. Quid denique hoc vltimo, & extremo loco dicam de admirabili prudentia, & consilio Seraphinæ? Quod; qui in maioribus fuisse par audeat, affirmare; cum eo quidem non contendam; certe quomodo maius potuerit esse; id non video. O vtinam audire nobis licuisset crebra illa, & priuatim habita colloquia cum Ioanne Paciecoeius amantissimo coniuge, vtinam penetralia illa, & penitus secreta tecta, quæ prudentissimos eorum sermones semper occultarunt, fidelissimeque semper custoditos habuere; eius nobis sententias possent commemorare; statuerem profecto in hoc genere nihil illo fieri potuisse perfectius. Multa alia, & vera, & magnam nobis admirationem afferentia commemorarem; nisi timerem difficilius esse exitum quã principium inuenire, & nũc ad illa cõmemoranda deueniam, quæ illius mortem antecessere. Vt intelligant omnes vitam tam laudabiliter actam non nisi laudabili fine fuisse conclusam; & quantum valeat honesta tranquillaque vita ad bene moriendum, & quemadmodum est valde difficile recte mori; qui male vixerit, sic fieri non potest; vt misera sit illius mors, cuius vita recte, & beate fuerat transacta. Die veneris septima autem mensis Nouembris; vt paulo ante dixi; Romam venerat Seraphina, cum in nauigatione, quam ex Hispania in Italiam fecerat; multos labores fuisset perpessa. Quãuis Ioannes Paciecus eius coniux illam non solum oraret verum etiam obsecraret, vt in Castella; quoad pareret, remaneret; nec; cum grauida esset; euidentissimo vitæ suæ periculo se exponeret. Nam aut necesse erat in itinere parere; aut octo mensium grauidam & plus tandem Romam peruenire; simulque præcaueret mala imminentia propter variam & aeris & ciborum naturam. Quid respondit Seraphina, num coniugis voluntati voluit acquiescere? nequaquam. Sed constanti animo re-

spon-

ſpondit, tibi fidem dedi; quocumque te contuleris; te comitabor, atque a tuo latere nunquam diſcedam, & hoc tam longinquum, & difficile iter; quod mihi præponis præ oculis;nihili facio,dũmodo tecum ſim;& tecum viuã, & tecum moriar.Igitur antequã triremes aſcenderet Seraphina; crimina expiauit & ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento ſe refecit, atque omnem vitæ ſuæ tranſactæ curſum, in quadam papiro manu ſua conſcripſit veluti in quadam parua tabella; quam in extremo vitæ ſuæ fine coniugi tradidit, vt; quid ſibi videretur; ex ea ille efficeret; ipſi antea declarando; quæcumque in ea continerentur, quam papirum in eius præſentia ſtatim coniux combuſit. Tandem, cum mare Tyrrhenũ pręternauigaret poſt lõgam nauigationem ad Cẽtum Cellas tam deffeſſa peruenit,vt e loco vix ſe poſſet dimouere;adeo vt opus fuerit ſeruorum manibus quadã ſella defferri in Vrbem. Cum primum Romam e longe aſpexit Seraphina; quid exiſtimatis illã aut dixiſſe, aut feciſſe?Maxima deuotione cepit conflagrare;cum iam videre ſibi liceret ſacroſancta loca; vbi Apoſtolorum Petri & Pauli & aliorum Martyrũm corpora præſens colere & venerari poſſet. Quis oratione conſequatur ardorem animi cæleſtibus ignibus conflagrantem cum Romam Seraphina aſpexit? Quis vnquam poterit verbis explicare illius excelſæ,ac prope diuinæ mentis tacitos reconditoſq; ſenſus. (ex Apoſtolis Petro, & Paulo,& aliorum Sanctorũ & Sanctarũ ardore quæ Romæ pro Chriſti nomine mortem & ſubire & pati non dubitarunt) ad mirabili ſuauitate delibatos?Quis gaudia non humanitus concepta, ſed in illud caſtiſſimum pectus incluſa diuinitus mente poſſit & cogitatione complecti? Me ne has terras; & hanc Vrbem aſpicere licet; quæ Apoſtolorum Principem & gentium Doct. & alios innumeros Sanctos & Sanctas excepere?illorumq. ſanguine pro fide vera & catholica defendenda redundarunt? Mene illa loca attingere licebit, in quibus illorũ ſanctiſſima veſtigia fuere impreſſa? Mene ad ea templa accedere fas erit; in quibus veneranda illorum corpora ſunt condita? Te te

C mundi

mundi Saluator & veneror & colo puro animo quantum possum; cuius imago in sacrosancta Latheranensi Ecclesiæ colitur, quæ populo Romano tanta cum lætitia & gaudio; populo inquam Romano (quod honoris causa repeto) apparuit. Te Apostolorum Princeps imploro; te mihi patronum & defensorem adopto. Suscipe causam tibi deuotæ fæminæ, flecte precibus communem omnium parentem, vt mihi in tantis vitæ peccatis quotidianisque delictis ignoscat. Hæc & alia quamplurima; quæ sentiri quidem animo & intelligi recte possunt, verbis exponi perinde atque sentiuntur non possunt; non quidem vociferans; sed tacite cum animo suo cogitans Seraphina Vrbem ingressa animo veneratur omnia templa; quia corpore non poterat: & ipsam imaginem Saluatoris ad Sancta Sanctorum præcipuo quodam eximioque cultu atque honore prosequitur. Quantam lætitiam attulerit vniuersæ Romanæ Curiæ eius aduentus, qui concursus ad illam inuisendam tota Vrbe facti sunt, quanta tenuerit omnem ciuitatem admiratio; quam benigne atque humaniter, omnes; qui ad illam inuisendam confluxerant; exceperit; supercedebo dicere in præsentia, siquidem omnium ordinum homines illam salutarunt. Diuertit ergo simul cum coniuge ad illud decus, & ornamentum amplissimi ordinis Eduardum Farnesium Cardinalem amplissimum filium Alexandri Farnesij Parmæ & Placentiæ Ducis & Mariæ eiusdem Alexandri vxoris; & Seraphinæ materteræ; Raynutisque Ducis Germanum fratrem. Quid ego de te Serenissime Raynuti hoc in loco dicam? qui vt sanguine Regio editus; animo plane Regio præditus & ornatus existis. Quem tot procerum Farnesię gentis; tot Lusitanorum Regum; tot Imperatorum; & Austriacorum Principum; decora referentem tanta cum voluptate intuemur. Et Alexandri patris tui & omnium illorũ Farnesiorum Ducum, quos nostra vidit ætas, omniũ maximi & inuictissimi; tot Campestribus prælijs; tot expugnationibus Vrbium & memorandis Victorijs clarissimi; non fictam sed veram & spirantem imaginem & viuam effigiem referentem

tem admiramur. Qui prolapſam diſciplinam armorum reſtituit, qui Romanæ militiæ decus renouauit, & tantum conſilio,manu,& potentia, valuit, vt & fortiſſimi militis & ſummi Ducis laudem vno eodemque tempore fuerit conſecutus. Non enim tantus Imperator in vitæ diſcrimine prope quotidiano verſabatur ſed opes domeſticas; quidquid a patruo Alexandro Cardinali Farneſio ſubminiſtrabatur, quidquid mater Caroli V. Imperatoris filia ſuppeditabat;id omne Alexander aſſiduis laboribus atque periculis pro publica vtilitate profundebat. Quod ſi ſtatuas ex ære aut marmore clariſſimorum virorum admiratione quadam incredibili contemplamur;quanta cum maiore voluptate vniuerſa Romana Curia intuetur & contemplatur Raynutium Farneſium;cum in Vrbem venit;viuum exemplar tanti Ducis; qui veram & Catholicam Religionem a Belgis exulantem reuocauit; & longe lateque propagauit; qui qua ætate nondum adipiſci conſulatum per leges licebat;ea Romanos externoſq; Duces belli gloria ſuperauit. Qui denique ea in illis locis geſſit; vt quę a Cæſare in illis Regionibus facta fuiſſe legimus; alioquin incredibilia, idcirco credamus,ꝙ ab Alexandro Raynutij patre; qui cum illo magno Alexādro merito rebus præclare geſtis poterit cōparari;maiora facta fuiſſe & vidimus & legimus.Qui ergo futuri ſunt rerum geſtarū ſcriptores; qui;cum ad laudes Alexandri Farneſij ventum fuerit non potius metuant, ne aliquid de ipſarum magnitudine deterāt quam illas pro ipſarum dignitate dicere poſſe confidāt; ſemper enim iuſtum minuendi metum faciunt ea; quæ amplificandi ſpem ſua magnitudine ſuſtulerunt. De Raynutio ergo Farneſio hæc dicere amore ipſius impulſus inſtitui;cuius nomen nulla delebit vetuſtas; nulla inobſcurabit obliuio. Eo igitur vnde digreſſa eſt mea reuertatur oratio. Seraphinam Eduardus Cardinalis Farneſius excepit eo cultu, & apparatu dignitatis; vt admiratio eos etiam caperet, qui; quæ in alijs admirabilia videntur, ea Cardinali Farneſio vſitata & quotidiana fuiſſe nouerunt.Cumque demum ſemel

C 2 fuiſ-

fuisset ingressa Seraphina; amplius ex ea egredi non potuit; tum propter valetudinem; qua vexabatur; tum propter dolores; quos habebat; causa partus, cui admodum erat vicina. Tandem die XIIII. mensis Decembris filiam peperit Seraphina, cui Cecilia Maria fuit nomen inditum, quamuis illa partum aliquantulũ acerbũ & laboriosum habuerit; semper vti prospera valetudine videbatur; in lectulo tamen semper decubuit, & decem continuos dies ex illo non surrexit. Cumq. omnes existimarent Seraphinam recte valere; illaq. deuotissima esset; qua pietate sẽper prædita fuit; atque dies Sacrosanctus; quo festum Natalis Domini ab Ecclesia celebratur; instaret, ex lectulo; quo decumbebat, toto eo tempore quo pepererat; surgere decreuit; vt tria sacra; quæ eodem die celebrantur; audiret, & sacrosancto Eucharistiæ Sacramento se reficeret, tantus enim dies festus Seraphina vehementer & merito excitauit. Hoc autem prohibere conatæ sunt omnes ipsius famulæ; tum ob frigioris & humidi periculum; quod verosimiliter excipere debebat in sacello; quod aberat satis longe; (tria enim cubicula erant intermedia priusquam ipsa ad sacellum accederet) tum quia partus; quamuis satis felix fuisset; nondum eius periculum penitus discesserat; multũ enim temporis elapsum non erat; & in illa omnia erant pertimescenda. Non preces non cohortationes famularum aliquid ualuere; & illius coniunx; qui aliquid poterat ad Sancti Petri templum; vt diuinis officijs interesset, se contulerat. Surrexit ergo Seraphina non benę induta nec satis superq. vestibus compressa & inuoluta; & pedibus proprijs ad sacellum; vt tria sacra audiret & sacrosanctam Eucharistiam sumeret; se contulit. O mirificam animi submissionem; & singularem erga Deum Seraphinæ reuerentiam; Non; vt quondam Petrus Apostolus multitudine piscium, quos spõte cepisset, stupefacta est; apud se commorantem totius mundi Rectorem & dominum orauit supplex; vt a se discederet. Non; vt ille Centurio Christi verbis & oratione laudatus magnitudine earum rerum; quas ab eo fieri vidisset,

perterrita est;domum suam venientẽ obsecrauit,ne tam humile,angustumque tectum ingrederetur. Sed cum necesse esset aut venientem accipere, aut quærere absentem;semiuiua ad eum adire maluit; quam pati ad cubiculum suum omnium rerum Parentem & Rectorem accedere; cum videndi Deum maximo desiderio & amore conflagraret. Hoc vero mihi hanc rem multo reddit admirabiliorem; quod salutem suam pro nihilo fecerit Seraphina; dummodo & sacra tria audiret & sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum susciperet. Itaque cum in sacello duo sacra iam audiuisset, tanta cum deuotione; vt id verbis exprimi non possit;tertium audire non licuit ob morbum ingrauescentem;nec amplius potuit expectare cum plane defecisset; & a famulis quadam sella collocata & euecta; in lectulum iterum reuersa decubuit; vnde amplius resurgere non potuit. Eodem enim die nocturno tempore febris acuta illam vehementer oppressit, atque ita excruciauit; vt extra mentem aliquando esse videretur. Hoc autem cum medici vidissent statim male præsagire; nec illam ab illo morbo posse liberari arbitrabantur. Notum est omnibus;quid vsu soleat euenire in morbis, quibus principes vexantur; præcipue metus medicorum, quæ familiarium & domesticorum dubitatio,tractusque verborum; cum susurrent inter se se dicentes; per multum tẽporis interuallum amplius non potest viuere; si ipsa hoc cognouerit animi ægritudine citius conficietur? Quid ergo insciam periculi sui mori uis? nec opinantem? Non est tam cito desperandum; fortasse salutis periculum euadet. Sed in vitæ discrimine de peccatis confiteri oportet; satis erit temporis; si res ita sese tulerit; &;vt speramus; necesse non erit, nec adeo est festinandum; vt ipsa terreatur, & ideo sæpissimè accidit; vt prius, eos; qui ægrotant; mors opprimat nihil metuentes; quam ijdem sese potuere ad bene moriendum comparare. At Seraphina, non medicorum consilium, non suorum admonitionem;non cuiusquam vocem expectauit, iubet vocari illum; qui eius crimina solebat expiare; virum integerri-

gerrimum instituti Sacti Francisci & Religione & pietate præclarum. Cum nomine illum sanctissimum virum Franciscum referat; & factis & rebus gestis maxime & incredibiliter imitatur; quod ita curat. vt dici non possit. Postquam crimina expiauit; & iam aduesperasceret sacrosanctum Christi Corpus sumere appetiuit; & quia morbus ingrauescebat; in dubium ab eadem Seraphina reuocatum fuit; vtrum per modum viatici; quamuis ieiuna non esset, sacrosanctam Eucharistiam sumere posset. Hunc vero fidei catholicæ zelum in fæmina omnes; qui aderant, Religiosi viri vehementer admirati sunt. Si quidem pauci doctissimi homines hoc in dubium reuocare poterant; fuit autem ab omnibus viris Religiosis; qui eius morbo semper adfuere, decretum; posse Seraphinam per modum viatici eo tempore sacrosanctam suscipere Eucharistiam. Seraphina ergo; vt sibi magis satisfaceret, iterum crimina expiauit, qua animi submissione a Deo suorum criminum & peccatorum veniam petierit, verbis nequaquã potest exprimi. Tandem cum eiulatu & fletu sumpsit viaticum necessarium ad iter illud extremum in cælestem patriam conficiendum; & pridem anteaquam in cælum euolaret; vt speramus atque cupimus; sacro oleo peruncta & delibata fuit. Quod Sacramentum; quam placide atque sapienter exceperit; & quanta cum deuotione non potest explicari. His omnibus Sacramentis munita & ornata, cum toto morbi tempore nihil aliud quam Christum Deum suum & sanctissimam Virginem Mariam eius matrem & beatam Ceciliam atque sanctum Franciscum & & alios Sanctos & Sanctas in ore haberet, animum suum iam iam e corporis ergastulo fugientem auctori creatorique suo commendauit. Obstupescebant magis magisque sensus, hebescebat totum corpus; debilitabatur, vox intercludebatur; anima ægrius anhelabat. Cum beatus ille animus solutis vinculis, emergens e tenebris, relinquens concretum & mortale corpus, nactus liberum cælum atque lucem; in illam sempiternam domum; (habita a Sanctissimo

D.N.

D.N Clemente Octauo omnium peccatorum suorum tam a culpa quam a pæna absolutione & Indulgentia plenaria; Rosaq; aurea donata & Apostolica benedictione benedicta; prolatis prius illis verbis in manus tuas domine commendo spiritum meum)& in cælestē patriam triumphans euolauit. O postridie Nonas Ianuarias quantam calamitatem quantam iacturam & detrimentum rebus Lusitaniæ attulisti? Quantam plagā eo die Lusitania accepisti, quantum eo die damnū Hispaniæ inflictū fuit & quam insanabile & mortiferum vulnus est omnibus Hispaniæ ciuitatibus illatum, perijt æquitas, omnia pariter cum Seraphina periere. Fuit illa quidem fortunatissima; quæ non solum vitam labentem immortali, breuem æterna, miseram beata vel potius mortem vita commutauit, sed illud etiam diuino munere consecuta atq; concessum sibi fuit; quod a Deo sæpe fuerat de precata; vt sibi morienti dilectissimus coniux adesset; terræ ipsæ quidem infelices atque miseræ fuere; quæ tale vel ornamētum rebus secundis; subsidium aduersis perdidere. Tui vero seraphina felicissimi labores; & contentiones ipsæ felicissimæ & beatissimæ; quæ tibi tantum præmium assecutæ sunt. O recte collocata certamina, quæ talem tibi coronam peperunt. Duxisti generis nobilitate originem ex inuictissimis Regibus;nunc in familiam Christi supremi Regis ascripta fuisti. Eras generis nobilitate & claritate cæteris hominibus augustior, nunc tot præclarissimis facinoribus te ipsa maior videris & augustior; cum omnium ora atque oculi in te vnam fuere conuersi. stupuerunt homines tam insolito spectaculo; cum ad templum sanctæ Cecilię nobilissimorum & clarissimorum virorum humeris delata fuisti, teque tamquam e cælo delapsam intuebantur, omnibus vicis, angiportibus, & plateis hominum multitudine repletis ad quartam vsque noctis horam. Denique omnes cum de te aut cogitant aut loquuntur in illis felicissimis sedibus sibi degere videntur. Cum Religione & in Dei timore & veneratione ita excelleris; vt nullius vnquam fuerit tam profusa luxuries; nec

in supellectilem tantos vnquam sumptus insumpserit, quantos tui vnius pietas in vnius dei cultum & honorem. Testes sunt omnes illi; qui S. Francisci institutum sectantur, testes omnes illius sanctissimæ vitæ imitatores; testis denique illud vltimum vitæ tuæ mandatum; cum ad sepulchrum eiusdem sancti habitu & indumento induta deferri volueris. Heu quam multis mærendi occasionem morte tua obtulisti Seraphina? Illa ne humanitas perijt? ille splendor interijt? illa tanta virtus superata? corruit illud columen Lusitaniæ? O rem luctuosam & acerbam? O miserum non Lusitanorum solum, sed etiã omnium Hispanorum acerbissimum casum. O Deus sanctissime. Cur eripi nobis priuariq. luce illam auctoritatem, illam sapientiam, illum splendorem, illam gloriam passus es? An vero Seraphina sedibus illis beatissimis, quam hoc exilio calamitoso iudicasti digniorem? An nos indignos; vt Seraphinæ ex Regia stirpe exortæ humanitate, conspectu & sapientia, frueremur? nunquam profecto; nisi nostra scelera fuissent commerita; ad alia grauissima vulnera; quæ Lusitaniæ Regnum iamdiu tolerauit, hoc tantum vulnus adiecisses. Tu vero Seraphina beata iterum atque iterum beata; quæ nostra mortalitate exuta omnibus bonis affluentem illam immortalitatem (vt pie credimus) fuisti adepta. Quæ molæstiam afferre poterant; videre desijsti quæ omnia bona tu Seraphina nunc vides perpetuoque videbis; vt illis perpetuo gaudeas. Nos miseri, nos infelices; qui in hoc exilio relicti illius præsidio spoliati sumus; cuius præsentia mala nostra faciebat leuiora. O natiões exteræ; si intelligeretis; quã tũ amisistis; tenebris abditæ proculdubio otro mærore atq. luctu conficeremini. O felix aliquando & florens Regia prole Lusitania, nescio quam adhibeam dolori tuo medicinam; cum tanta plaga sit tibi imposita; vt vix sanari posse videatur. Merito ergo omnium oculi lachrimis madent; merito omnia Seraphinæ planctibus lamentationibusque circumsonant; merito vndique querelæ exaudiuntur. Quãquam tua causa; o Seraphina; nihil est quod lugeamus;

mus; sed nostra. Tu quidem præclare atque laudabiliter vitæ cursum confecisti,& tanto dignitatis gradu recte fuisti perfuncta. Omnium erga te ordinum charitatem satis illa; quæ ad funus tuum cohonestandum multitudo conuenit; apertissime declarauit. Vidimus pias Ioannis Pacieci coniugis tui lachrimas; & quas ille animus excelsus quocumque humano affectu maior in tanto dolore continere non potuit, nos homunculi ad fletum doloremque nati lachrimarum flumina continebimus? Dolendum Lusitaniæ; quæ Seraphinæ similem nunquam fortassis habitura est; prius illa spoliata fuit, quã suæ probitatis vllũ in hac Vrbe fructum percipere potuisset. Dolendum tali atque tanto Principi; quaalis est Ioannes Paciecus; qui tã duris temporibus, tanta fide, tanta prudentia, tanta probitate præditam vxorem amiserit, sed omnibus in rebus diuinæ voluntati acquiescendum. Nos autem nos inquam afflicti iacemus atque mærentes tantæ Principis desiderio; quod longinquitas temporis non leniet, sed duplicabit. Mærent ciuitates; plorat Lusitania; ingemiscit Castella, implentur viæ lachrimis, compita omnium eiulatibus personant. Omnis ætas, omnis sexus; omne denique hominum genus Seraphinæ præsidio orbata languescit & mæret. Eã deflent Religiosi viri; quos semper in oculis ferens summa semper diligentia & studio protexit Seraphina; lugent inopes, cum Seraphinæ subsidio careant. Quis concursus, cum ipsa ad tumulum deferretur; omnium ætatum atque ordinum fuerit; quis nescit? quæ fuerit in templo sanctæ Ceciliæ omnium mortalium collachrimatio? quam miserabilis & luctuosa vociferatio eorum; quos in summa inopia Seraphinæ benignitas pascebat? Quod si a me hoc in loco recte dici non potest; a vobis certe recte potest cogitari. Tu autem Seraphina; cum primum a corpore discessisti; secundo atque felicissimo cursu in illas piorum sedes penetrasti, quo quidem tempore & si acerbissimus fuit eorum dolor, quos reliquisti in hac misera & calamitati-

bus plena vita; tamen longe maior fuit cæleſtium ad quos; vt confidimus, euolaſti. O recte collocata certamina; quæ talem tibi Seraphina coronam pepererunt. Etenim; quod eſt tantum ingenium; quod tam incredibile verborum & ſententiarum flumen, quæ tanta facultas orationis & grauitas, quæ tam incredibilem voluptatem aliqua ex parte poſſit explicare. Nos autem nos inquam afflicti iacemus, nos infelices; noſtrum damnum; noſtrum malum, noſtra ruina, noſtra iactura, noſtra miſeria eſt. Quibus; Seraphina pereunte; perijt propugnatrix, perijt dignitas, perijt præſidium, noſtra demum omnia bona pariter cum Seraphina periere. Viuet illa & quamdiu Religio, pietas, liberalitas; mortalium animis penitus infixa inhærebunt, tamdiu in ore omnium nullis litterarum ſpatijs terminata Seraphinæ fama viuet, viuet eius virtus & gloria. Hæc Ioannes Paciece, Princeps prudentiſſime; decus & præſidium familiæ tuæ, quam tibi iamdiu addictam non deſinis quotidie nouis firmare præſidijs, nouis honoribus amplificare, nouis etiam tibi arctius aſtringere beneficijs; hæc inquam; Princeps potentiſſime, quem abſentem appello; tua illa generoſi chriſtianique ſpiritus plena prudentia ſecum ipſa, vt facit; cogitans chariſſimæ coniugis deſiderium recordatione humanæ imbecillitatis ſedabit. Et quamuis tu multa dictu grauia; perpeſſu aſpera; toleraueris æquiſſimo animo; tamen hoc acerbo vulnere percuſſus; luges ſat ſcio atque mæres non tam tuis quam tuorum malis. Quis id te iure facere negare audeat? Amiſiſti vxorem, at quam vxorem? ſumma prudentia, ſummo conſilio, incredibili bonitate; ſingularibus virtutibus exornatam; atque; vt vno verbo omnia complectar; omnibus ſummis rebus excultam. At quando amiſiſti; quando eius opera tibi maximo vſui erat futura. Si tamen non officioſam pietatem contemnendam eſſe arbitraris, relictus eſt tibi Fernandus frater non minori ſapientia atque conſilio beneque Deus rebus tuis proſpexit; vt infligeret ſimul vulnus & ſanaret. Leuet tuum

maxi-

maximum dolorem huius præsentia & eius recordatio, atq. mæstissimum animum reficiat & recreet diuina liberalitas. Illa tua deniq. inaudita prudentia & sapientia incredibilis confirmet. Et tecum iterum atq. iterum cogita Seraphinam tuam e custodia vinculisque corporis ad beatorum domicilium euolasse. Alma autē hæc vrbs grauissimo hoc & acerbissimo casu; vt par erat, afflicta prudētia tua & virtute recreata Seraphinæ memoriam immortalē posthac non tam luctu & lachrimis, quam exquisitissimis honoribus prosequetur, & si vitalem auram mors eripit, immortale nomen nunquam adimet post mortem. Virtutis Seraphinæ fama semper viuet; & viuet æternitas; vna gloria immortalis triumphat. Cui nec nocet mors; nec quidquam detrahit temporum lōginquitas. Non à vita migrauit Seraphina, sed viuit; quia ita vixit, vt nihil illi mors ademisse videatur, illius nomen viuet in hominum memoria & virtus; quamdiu gloriæ vigebit immortalitas. At tu Ioannes Paciece, princeps potentissime; quē iterū atq. iterum honoris causa appello alienissimo tempore optima & præstantissima vxore orbatus fuisti, illa; vt confidimus e tenebris vinculis corporis in lucem libertatemque producta pijs omnibusque promissam possidet hæreditatem. Ita vt Seraphinæ mors, si sortem tuam priuataque commoda respicimus; luctu & lamentationibus, sin ipsam lætitia & gratulatione persequenda sit. Illa enim terrestria cælestibus, laborem quiete, mortalitatem immortalitate, vt speramus, commutauit. Quod mortua est humanæ fragilitatis est, quod ita mortua diuinę cuiusdā felicitatis. Bonum certamen certauit, cursum consumauit, fidem seruauit; iam coronauit eam Deus; aut breui totius Ecclesiæ suæ precibus adductus coronabit eam corona iustitiæ quam repromisit Deus diligentibus se.

FINIS.

Imprimatur si placet R. P. Magistro Sacri Palatij Apost. B. Gypsius Vicesgerens.

Videat D. Doctor Iacob. Candidus. Fr. Io. Maria M. S. P.

*Nihil continet contra s. fidem, & bonos mores.*
*Jacobus Candidus de mandato Reueren. P. S. P. Mag.*

Imprimatur.

Fr. Io. Maria Brasichelen. Sacri Palatij Apost. Magister.